

ro foy credor : debent legi copulative, quāl utrumque requiratur, ut qui prius sententiam habuit, sit prior in hypotheca, vel obligatione. Unde cum is qui se-

cundo loco sententiam habuit, sit prior creditor, & prior in executione, nec fraus aliqua probetur, quæ concludat, sententiā revocavimus, Scriba Chaves.

## SUMMARI A.



- 1 *Aici in Ecclesijs, in quibus habent sepulturam, non plus habent, quā jus sepulchri, & usus ipsius. Locus sacer est extra cōmercium. ibi.*
- 2 *Sepulchra vel sunt familiaria, vel hēreditaria.*
- 3 *Nobilibus mulieribus competit jus sedendi in nobiliōri loco.*
- 4 *Capella duobus modis consideratur, vel ut particularis sit in illo usu, quando laicus illam construxit, vel quando in jam constructa sepulchrum elegit.*  
*Si dos constituitur, nanciscitur ip-*

- sius jus patronatus. ibi.*
- 5 *Quando capella ædificatur, plenum jus in ea acquiritur.*
- 6 *Quando jam constructa est, si solum laico conceditur sepultura, non habet jus prohibendi alios, nisi in eadē sepultura.*
- 7 *In dubio quæ argumenta attendenda sint. Literis in lateribus parietum incisum credendum. ibi.*
- 8 *Successoribus implorato judicis officio succurritur.*
- 9 *In servitutibus negativis incipit possessio à tempore prohibitionis.*
- 10 *Ex nomine capellæ intelligitur adiūcium materiale ipsius.*

## DECISIO XXIV.

*An ex armis affixis in parietibus capellæ, & sepulchro ibi extructo competit jus sepulturæ in eo loco, & prohibendi, ne aliis sepeliatur? Ad Ordin. lib. 4. tit. 58.*



*N nobili Villa Guimaraensi in Monasterio Sancti Dominici habet Rodericus Telles de Menezes avitum sepulchrū in capella maiori Ecclesiæ pariete affixum, ubi conditur Domina Blanca de Vilhena ex Regū prosapia, à marmoris latere pendent armorū insignia, & in fornicis lapide ævo cōsumpta armorū discernuntur vestigia. Cumque monachi alteri personæ extraneæ sepulchrū in eadē capella concedere vellent,*

*dictus Rodericus Telles occurrit, & agens pro violentia, inter alia deduxit, quod in eo loco sui maiores sepeliri consuerant, dictamq; capellā dotaverant, in probationem adferens cujusdam antiqui testamēti verba, quæ sic se habent: Mando enterrar meu corpo em S. Domingos de Guimaraës. Item mando, que me não ponhaõ monumento alto, mas feito de pedra, & metido só o chão em cāpa chaã em cima, & escrevão letras na parede, de quem sou, & quē foy meu padre. Itē dos bens de raiz tomo em parte de minha terça a quinta de Pa-*

K

rada,

rada, deixo os dinheiros della á minha Capella, que ordeno em S. Domingos de Guimaraens, pelos quaes dinheiros de cada dia mando cantar duas missas no dito Mosteiro, huma por mim, & outra por Fernas, a quē Deus por sua piedade de o seu santo paraíso, que foi meu marido. Sētentia in inferiori Senatu lata fuerat pro Monastério, quasi Actor deficeret in probatio-ne suæ actionis, causaque delata ad Senatum inter alia dubia, quæ in proces-su controvertebantur, illud primo occurrebat: An laicus sit capax acquirendi jus sepulturæ in Ecclesia, ut dominus censeri possit illius? Et videtur, quod laici in Ecclesiæ sepultura nihil amplius habere possunt, quam jus quoddam sepulchri, seu usus ipsius; quia cum locus facer sit, & extra commercium ex Ordin.lib. 2. tit. 24. in fine, ibi: **D**o serviço das Igrejas, ou Mosteiros, &c. §. sacræ de rerum divis. & solos ille usus permissus est ex Abb. in cap. 1. de sepultur. Rochus de jure patronat. verbo in ecclesia num. 13. Lambert. in cod. tract. lib. 3. quæst. 5. art. 4. num. 1. Garcia de expensis cap. 8. num. 51. idem Abb. in cap. quanto de judic. Et merito idem Abb. in d. cap. 1. de sepulturis vocat patronum sepulchri, qui jus habet sepulchri: & dicitur sepulchrum hospitium in cap. Ebron 32. quæst. 2. significans, quod in sepulchris laici hospites sunt, non domini, quia eorum dominium apud Prælatos residet. Lambert. quæst. 1. lib. 1. art. 7. num. 4. Antonin. in Summa 3. part. tit. 10. cap. 1. §. 3. Hostiens. in tit. de sepult. r. num. 1. Medices de sepultur. 1. part. quæst. 1.

**2** Hic autem usus dupliciter competit, quia aliquando sepulchra sunt familiaria, quæ sibi quis, & suæ familiæ constituit: alia hæreditaria, quæ sibi, & hæredibus, vel quæ paterfamilias, jure hæreditario acquisivit, l. familiaria ff. de religios. & sumptib. funer. & in l. jus familiarium, & in l. jus sepulchri 13. C. eod. tit. Molin. de primogen. lib. 1. cap. 24. à num. 41. pungit. D. pater meus de renovat. quæst. 19. num. 12.

**3** Quibus autem modis, vel argumentis hoc jus probetur, non satis liquet: quare noto, quod in ecclesijs aliqua sunt jura, quæ laicis cōpetere possunt, prout est jus patronatus, qui ex dotatione, & fundatione acquiritur, & per se confert jus sedendi in loco honorifico in ecclesia: prout etiam competit nobilibus mulieribus jus sedendi in loco nobiliori, sicut & nobilioribus hominibus jus deferendi pallium in processionibus, & offerendi, prout etiam jus sepulchri concedi solet, ubi successorū, & hæredum cum proprijs ossa honorabiliter condantur: permittit enim pia Mater Ecclesia, ut laici facilius alliantur ad Ecclesiarū reparationem, & ornatū, unde divinus augeatur cultus, ut talia jura quasi possideātur in gremio ipsius, & laicos hujus juris capaces reddit.

**4** Unde duobus modis potest sepulchra extrui in capella, quā quis construxit, vel ita ut dicta capella maneat particularis in illo usu, cæterosq; prohibere possit, ne ibi sepeliantur. Molin. lib. 1. cap. 24. n. 35. Cabed. de jure patron. cap. 22. num. 5. Vel quando capella jam constructa postea ex contractu usui aliquius particularis personæ applicatur, ut ipse sepulchrum ibi constituat. Quod etiam duobus modis fieri potest, vel assignata dote, per quam quodammodo jus patronatus ipsius acquiritur, vel asligatis redditibus pro officijs, & anniversarijs ibi peragendis, qui redditus loco dotis subrogantur, & ex dote acquiritur jus patronatus, cap. nobis de jur. patron. Citadinis 3. part. n. 79. Abb. in cap. ad audientiam de eccl. ædif. n. 11. Lambert. 1. part. lib. 1. quæst. 1. art. 10. Cabed. de jur. patronat. cap. 2. n. 1. Ex quo fit, quod jus sepulchri est valde simile juri patronatus, Rochus verbo in ecclesia num. 13. Molin. d. cap. 4. num. 11. D. pater meus de renovat. d. quæst. 19. n. 12.

**5** Primo casu non est dubium plenum jus in dicta capella acquiri, cum prædente contractu ædificium inchoetur: nam licet res sacræ extra commercium

sint

sint, nec circa illas venditio subsistat, tamen hoc casu ex contractu, non rei proprietas, sed ipse usus, seu quasi possessio illius juris acquiritur, cuius laicus incapax non est, ad instar juris patronatus.

6 In secundo vero casu, quando capella jam constructa est, tunc attendi debent verba contractus: An ipsa capella prout est, applicetur usui laici doctantis, ut in ea sepulchrum erigat, vel sola concedatur sepultura in ipsa capella ipsi, & familiæ circa aliud jus? Et primo casu, nisi verba repugnant, etiam capellæ usus in totum concessus censetur. In secundo vero solum jus sepulchri, non tamen ex eo alios prohibere potest, nisi respectu illius sepulchri, seu loci, argum. l. si quisquam ff. de divers. & temp. ibi: *Alium eodem jure uti prohibet.* Archidiacon. in cap. præcipienti 12. quæst. 2. Rochus de jur. patron. verbo in ecclesia num. 17. Garcia d. cap. 8. num. 51. Molin. d. cap. 24. num. 35.

7 Quando autem sumus in dubio, quæ argumenta attendenda sint, ut capella concessa videatur, dubitari solet: & inter alia illa efficaciora sunt, quæ sumuntur ex assignatione perpetui redditus pro divinis in capella peragendis; tunc enim præsumitur contractum præcessisse. Secundo: quod in pariete sepulchrum elatum constituatur cum armis defuncti, arma enim affixa dominium probant ex Anch. cons. 113. Lambert. d. quæst. 5. art. 4. num. 3. Tunc præsumitur illud factum in gloriam, & splendorem familiæ: sic pariter ex literis in sepulchro, vel alibi incisis colligitur loci, & sepulchri qualitas, Specul. tit. de probation. vers. nono. Paulus in l. si sepulchrum C. de religios. & sumptib. Mascard. conclus. 1298. num. fin. Deinde longævus usus, quod ibi talis persona jaceat, nec in tali loco, vel capella soleant alterius familiæ hominis, vel domus sepeliri; tunc enim ex temporis cursu censetur constituta illa obligatio, & sola fama probabit, prout in valde antiquis, gloss. in l. atqui natura

§. qui cum absente ff. negot. gest. Alex. conf. 4. num. 12. volun. 2. Gama decis. 290. num. 1. Boer. decis. 39. Covar. in regul. possessor. 3. part. §. 3. num. 1. Balb. 4. part. 4. principal. quæst. 29. Mascard. conclus. 546. & 224. Unde cum in præsenti dicta D. Blanca juberet, ut ejus corpus in sepulchro humi conderetur, & in pariete simul literæ pingerentur, manifeste ostendit, se tam soli, quam parietum esse dominam, quia scriptura in pariete non sit circa nomen domini, circa usum illum, seu quasi possessionem, argum. l. 1. C. nemini licet. signa. Imper. l. si basilicam de oper. public. Bart. in tract. de insignijs, & armis circa princip. Lambert. d. quæst. 5. art. 4. num. 7.

8 Quo supposito cum ex verbis testamenti armis, & testibus satis probetur dictæ capellæ usum ad D. Blancam spectare, ejusque successores, restat, ut sciamus, An illa, vel ejus successores possint prohibere, ne eo loci aliæ personæ extraneæ sepeliri possint? Et sequendo supradictam distinctionem, resolvendum est, quod si concessa sit simplex sepulchri licentia, utique tanquam particularis concessio non egreditur suos limites, nec alios prohibet nisi in suo sepulchro: si vero vel capella à defuncta constructa sit, vel post constructionem dotata, & ibi defuncti nomine officia perpetuo peragantur, arma, & insignia in parietibus, & locis eminentibus reperiantur, si de alia concessione non constat, præsumendum est privative ad alios possidere, & alios prohibere posse, ne eodem sepulchro, & capella utantur. Unde fit, quod si vel jure sui sepulchri spolietur, vel aliis etiam loco inferri velit, possint successores implorato judicis officio restituiri. Aurelius ff. de donation. Menoch. remed. ult. recup. n. 3. & 37. ubi de sepulchro agit, Flores ad Gamam d. decif. 290. seu 289. ubi Flores, Lara in l. si quis à liberis ff. de liber. agnosc. n. 32. Cæpolo de servit. cap. 71. n. 20. el. ganter Bart. l. 2. §. ne ejus ff. de oper. public. Menoch. remed. 15. recuper. n. 47. & remed. 1. n. 444. Zeval. 4. part. q.

879. num. 236.

9 Nec obstat, quod in servitutibus negativis, ut quasi possessio acquiratur, requiritur, quod aliqua à principio intercedat prohibitio quoad alios, ut ab illo tempore incipiat quasi possessio, ut habet gloss. in l. qui luminibus 10. ff. de servit. urbanor. ibi: *Nontamen incipit currere, quo vicinus cœpit ædificare, & tu prohibuisti: Ripa in l. quominus n. 32. ff. de fluminib. & in cap. cum Ecclesia num. 50. de cauf. possess. Balb. de præscription. 4. part. 5. princip. quæst. 5.* Adeo ut nec per mille annos amittat vicinus facultatem ædificandi, gloss. in d.l. qui luminibus per l. cum eo ff. eod. l. altius C. de servit. ubi Angel. Jaf. in §. æque num. 41. Instit. de action. Gail. pract. lib. 2. cap. 69. num. 8. Otalora de nobilit. 2. part. 3. princ. cap. 2. num. 6. Mascard. conclus. 1330. Satisfit enim, quod qui sepulchrum habet in capella perpetuo, prohibet alios illo jure uti, cū dominus sit, possessioque sua, seu quasi non incipiat à prohibitione, ut in negativis servitutibus respectu vicini, sed à tempore, quo sepulchrum erectum est in capella, quia tunc non acquirere intendit in re vicini, sed propriæ rei, & usui incumbit, in quo in consequentiam prohibet, quando aliis se ingerit, quia tunc ingredientem in domum suam repellit, & illo jure uti prohibet.

10 Ex quibus ex testamenti verbis, quibus suam capellam vocat, ibi: *Minha capella: cui dotem dicta D. Blanca*

de Vilhena constituit junctis alijs administriculis, aperte constituit illam, ejusq; successores jus habere prohibendi alios: imò pleno jure esse in quasi possessione illius; quia ex nomine capellæ intelligitur ædificium materiale ipsius: ut ex Baron. notat Lara de anniversar. lib. 2. cap. 1. num. 1. Quod quidem testamentum, quod monachi apud se ipsos habebant, illos constituebat in mala fide, arg. Ordin: lib. 3. tit. 27. §. 3. & lib. 4. tit. 79. in fine principij, & lib. 1. tit. 62. §. 38. Cabed. de jur. patron. cap. 10. num. 9. & cap. 7. num. 2. quia contra proprium instrumentum apud se servatum non potest allegari ignorantia, l. non est feredus ff. de transaction. Balbus de præscript. 2. part. 3. princip. quæst. 10. num. 26. Decius cons. 267. ad fin. Purpurat. cons. 172. num. 3. 1. part. Cabed. decis. 109. 2. part. num. 4. & hac male fide probata nec per mille annos sufficit possidere. Palatius in repetit. cap. notab. 1. §. 1. num. 7. Covat. in reg. possessor 2. part. §. 8. num. 4. Balb. de præscript. d. 2. part. 3. princ. quæst. 10. num. 26. Vasc. de jur. emphyt. quæst. 8. num. 25. & cons. 95. num. 9. idem Cabed. decis. 9. 2. part. num. 7.

Ex quibus fundamentis sententia revocata fuit Portuensi Senatu adjudicato usu, seu quasi possessione dictæ capellæ maioris dicto Actori, & vim illi commissam fuisse à monachis, dum extraneas ibi sepelire personas volebant: Scriba Chaves.

## SUMMA RIA.

5  Lectio concessa in successione maioratus debet intellegi inter aequales gradu.

6 Semel electus ad maioriam juxta formam institutionis se, & suos descendentes constituit in quasi possessione illius parentellæ.

7 Nominatio non constituit consanguinitatem, sed facit eam præsumi.

8 Ex quasi possessione alicujus juris transfertur onus probandi contrarium in adversarium.

9 Successores à primo instituente capiunt novo jure in sua persona formatio.

10 Nominatio soli nominanti præjudicat,

- dicat, non vero tertio.**
- 11 Constituto aliquo possessore in rei possessione, non solum ipse, sed omnes ejus successores admissi censentur.**
- 11 In persona primi acquirentis omnes successores intellectualiter comprehenduntur.**
- 12 Quasi possessio consanguinitatis ad omnes descendentes transit.**
- 12 In servitutibus continuis, discontinuis, & negativis quomodo jus acquiratur?**
- 13 Successores illius, qui est in quasi possessione illius juris, non tenentur de novo probare suum jus.**
- 14 Lite pendente potest unus ex litigantibus dominum adire, & ab eo**
- impetrare titulum absque vitio attemptati.
- 15 Quando successor reivindicacionem movet, potest illi objici defecatus dominij.**
- 16 Cursus 40.annorum in maioratis præscribindis non sufficit.**
- 17 Primo nominata acquirit jus agnationis præsumptione juris sibi, & successoribus.**
- 18 Qui habet juris præsumptionem, & hanc possessionem consanguinitatis, non repellitur, nisi à parte adversa contrarium probetur.**
- 19 Non probata incapacitate successoris, vel non jure ipsius, debet in sua possessione tueri.**

## DECISIO XXV.

*An possessor maioratus possit per contractum alium post se nominare ad maioratum, & nocere proximiori si ille non probet se à sanguine institutoris descendere? Ad Ordin.lib.4.tit.100.§.2.*



Um maioratum ex bonis suis constitueret Aparitius Domingues, hæc verba subjunxit: Quero que succeda Ioão Lobo meu neto, & não tendo filhos, ou netos lidimos, que venhaõ de sua linhagem, ao mais chegado, & mais velho, & mais proveitoso para isto, & que melhor possa manter a dita Capella, & para nam aver contenda, mando que aquelle, ou aquella, q tiver a dita Capella, que antes que morra, jure sobre os Santos Evangelhos, que bem, & verdadeiramente nomear à sem mais bandoria, aquelle, ou aquella, que a dita Capella ouver de filhar, que seria da minha parte, & que descenda da minha linha direita, q a metaõ em posse della. E quando não jurar, ou não quizer jurar, ou não puder, farão a

dita escolha o Bispo de Evora, ou o Prior, que entao for de S. Pedro com dous da linhagem, que descederem da minha linha, & escolhaõ hum da linhagem de João Lobo, o melhor, & mais convenhavel, & o mais chegado, & mais proveitoso para isto, & que venha da minha linha.

Devenit maioratus ad maiorem Loba, quæ cum sine descendantibus decessisset, nominavit juxta formam institutionis Dominam Beatricem Loba, suamque asseruit esse consanguineam juramento, à qua successio delata est ad ejus filium, qui in vita (quia carebat legitima sobole) per contractum ad Indos discessurus Dominum Hieronymum Coutinho nominavit, qui ex nobilissima Luporum familia trahit originem: cumque apud Indos diem clausisset

extremum, sicut absentis Domina Mariana de Sousa litem movit D. Hieronymo, ut maioratum dimitteret, quia in ejus successione ipsa preferenda erat, quia proximior ultimo possessori. Ultra quod ipsa ab Eborensi Archiepiscopo electa fuerat ad maioratum in forma institutionis. Reus allegabat inter alia, quod ipse nominatus fuit ab ultimo possessore, & se de genere Luporum esse: & ultimo quod Aetrix carebat aetione, cum non probasset se esse de familia institutoris: sicque succedere jura vulgaria, ut Actore non probante reus absolvatur, l. hos accusare C. edendo l. ult. C. de revendic. Contra Reum lata est sententia, quae confirmata fuit in Senatu, à qua cum revisio peteretur, placuit sententiam non revidendam mihi, & D. Ludovico Mendez Barreto, & questionem hujus processus in quatuor dividendam duxi.

1 Primo: An ex illis verbis testamenti electio concessa sit inter omnes de familia, vel inter pares gradu?

2 Secundo: An illa electio facta à maiore Loba, in qua juravit se jure, & recte eligere matrem Aetrixis secuta possessione 40. annorum, eam constituerit in quasi possessione parentelæ.

3 Tertio: An Aetrix potuerit pendente lite nominationem ab Archiepiscopo Eborensi obtainere juxta formam institutionis sine vicio attentati?

4 Quarto: An Aetrix modo agenti (tanquam proximiori) possit objici, quod non sit de parentela, agnatione, & linea testatoris?

5 Et quoad primum notanda sunt institutionis verba, quæ non liberam concedunt eligendi facultatem, sed inter æquales gradu, ibi: *O mais chegado, & mais velho, & mais proveitoso para isto:* quæ verba, ut aliquid operentur, debent exponi, ut electio sit inter æquales, nam si maior natu semper preferendus est, cessat electio. Quare solum illum sensum admittunt, ne libere eligere licet, ut in l. cum quidam ff. de legat. 2. l. unum ex familia. si de lege Falcidia

ff. eod. sed inter gradu æquales dignior præferatur cæteris, qui sit dignior, & habilius descendens à testatoris linea effective sumpta: ut explicat Menoch. lib. 4. præsumpt. 88. num. 11. & conf. 233. num. 18. lib. 3. & diximus late supra decif. 8. Quasi dixerit, quod eligat ex proximioribus seniorem, & inter æquales proximitate, & aetate utilioremaioratui. Unde non simpliciter invitata est proximitas sine aetate, nec aetas sine utilitate, nec data est libera eligendi facultas, ut eligat, quem velit, ut in d. l. cum quidam, ne dubitemus an stare possit talis concessio propter incertitudinem personæ, arg. l. duo sunt ff. de testam. tutel. Nam hæc concessio restringitur ad certum genus personarum, à quibus eligat consanguineos, scilicet, inter quos data paritate gradus aetatis habeatur ratio, & utilitatis, quasi inter consanguineos sit ultimus possessor arbitrus constitutus, qui utiliorem præferat, arg. text. in l. fæminæ C. de secundis nuptijs, ibi: *Dummodo ex his tantum sit, quos tali successione dignissimos juicamus:* Gloss. Bart. & DD. in d. l. cum quidam ff. de legat. 2. late Palat. in rubr. de donation. §. 75. in princ. Gomes in cap. 2. n. 23. de constit. lib. 6. Gomes in l. 17. Taur. num. 18. facit cap. licet ergo 8. quæst. 1. ibi: *Ex omnii populo, qui doctior, qui sanctior:* Tiraq. de primogen. quæst. 17. Molin: lib. 2. cap. 5. num. 50.

6 In secunda quæstione maius inest dubium: & videtur dicendum, quod quando ultimus possessor jurat, & secundo institutionis formam eligit aliquem, quem putat, & credit consanguineum, ex illo actu secuta longa possessione constituitur in quasi possesso. one illius parentelæ; quia nominatio parentis respectu filij non plene probat filiationem, saltem quasi possesso. nem illius juris inducit, gloss. 1. in cap. per tuas de probation. & in l. non epistolis C. eod. gloss. in l. pen. ff. eod. communis, ex Dueñ. reg. 341. Covar. de spon. talib. 2. part. cap. 8. §. 3. num. 7. Menoch. de arbitrar. cas. 87. num. 37. Mascard. con-

conclus. 790. à princ.

7 Quia licet agnatio, vel consanguinitas denotet aliquid naturale, quod à natura, & origine procedit, ac proinde non possit ex sola nominatione effici, l. Caius 12. ff. de jur. patron. l. assumptio ff. ad municipal. illud quidem procedit, quando agitur de constituenda consanguinitate, non vero de ipsa præsumenda: advertit Mascard. ubi supra num. 31. Unde hoc sine dubio procedit in nominatione junctis alijs adminiculis, veluti juramento nominantis in causa sibi permesso, qui noscere consanguineos præsumitur, & illum nominat in actu, qui solum convenit consanguineis, & juramenti sacramento roborat, arg. eorum quæ Mascard. conclus. 793. agens de filio, qui nominatur, & instituitur, cum institutio sit actus soli filio conveniens, l. quidam 132. ff. de verbis.

8 Unde fit, quod extra dubium videtur, quod illa nominatio ultimæ possessoris nominatam matrem Aet. icis constituerit in quasi possessione parentæ, ex qua probandionus contrarium in adversarios transtulerit: in specie observat Mascard. conclus. 411. num. 15. Paleot. de notis cap. 22. num. 5. Vasc. conf. 179. num. 21. qui quasi possessori hæreditatem paternam adjudicandam censet, quia illa quasi possessio fundat agentis intentionem etiam in proprietate, Otalora de nobilit. 2. part. 3. principal. cap. 10. vers. breviter, Garcia de nobilitat. gloss. 8. num. 11. nisi quando repugnet primus status, ut per eundem ibi num. 8.

9 Obstat tamen, quod illa præsumptio, & qualitas quæ pro primo nominata urget, fuit personalis, quæ ipsius personam non egreditur, quia ad successores extendi nequit, qui non ab ipsa, sed à primo instituente capiunt novo jure in sua persona formato, & non transmiso à prædecessore l. cohæredi. §. cum filiæ ff. de vulgar. Alex. conf. 44. num. 1. lib. 1. & conf. 26. num. 4. lib. 5. Molio. lib. 1. cap. 8. à num. 2. D. Caldas Pereira de potest. eligend. 3. part. cap.

16. num. 3. Mudo enim tantum jure fungitur nominans seu eligens l. unum ex familia §. 1. ff. de leg. 2. ibi: Quid enim est, quod de suo videtur reliquise, qui quod reliquit, omnino reddere debuit: Paulus ibi num. 2. Decius conf. 548. num. 8. inducens text. in l. item eorum §. decuriones ff. quod cujusque universitatis nomine l. ita autem §. gessisse ff. administrator. l. pater in fine ff. de manumiss. vindict. ibi: Solam enim electionem filio commisit, cæterum ipse manumisit: pluribus exornat D. Caldas Pereira 3. part. cap. 16. à num. 3.

10 Secundo obstat, quod illa quasi possessio, in qua nominatus, vel habitus pro consanguineo constituitur, operatur respectu nominantis, non vero tertij: explicat Mascard. conclus. 411. num. 18. vel quando ex sola quasi possessione aliquod jus incidenter pertenidit; non vero principaliter ad acquisitionem: agitur Otalora d. cap. 10. à princip. vers. secundo facit argum. l. 2. §. quædattii ff. de interdict. & l. 3. §. hoc autem ff. de itiner. actuque: quia quodammodo i. hæc habent connexam causam proprietatis, ut non sufficiat sola quasi possessio, nisi & proprietatis jus probetur; maxime quando testator in institutione ex sua linea descendentes vocat, quæ qualitas in quolibet successore examinanda est, cum ab eo accipiat, non ab ultimo possessore: ut per supra citatos.

11 Sed adhuc his non obstantibus, verius est, quod constituto primo possessore in quasi possessione ex sua persona jus formetur in singulos successores; nam cum illa qualitas præsumptio ne juris sanguini inhæreat, in omnes successores dirivatur; consideratur enim inter illos quidam status, in quo omnes de sanguine admittuntur, & constituantur insuccessive, quia ille locus non personas respicit, sed agnationem, & familiam, & in persona primi acquirentis omnes futuri successores intellectus aliter comprehenduntur, & continentur juris fictione: sicut alias traditio in maioribus facta primo non censemur

illi solum facta, sed etiam omnibus sequentibus arg. l. 2. C. de acquir. possess. in terminis Tellius l. 27. Tauri num. 2. & in quacumque concessione generaliter Imola in l. ex facto §. si quis rogatus 1. col. 3. ff. ad Trebell. Adeo ut non requiratur ratihabitio sequentium, sed sufficiat primi acceptatio, ut dominium in sequentes transire possit; alias enim cogeremur dicere dominium rerum maioratus esse in pendent, nisi in sequentem, & vocatum successorem continuaretur, Valasc. de partition. cap. 31. num. 10. & cap. 30. num. 24. Cabed. 2. part. decis. 8. idem Valasc. cap. 13. num. 129. quæ est singularis explicatio ad l. Herenius ff. usur. de quo Costa in tractat. de success. Regni fol. 145. Gama decis. 308. num. 6. & decis. 356. Gomes l. 40. Taur. num. 74. Pelaes de maiorat. lib. 4. quæst. 24. num. 2.

12 Nec obstat secundum: quia potius contrarium est verius, quod consanguinitatis quasi possessio, quæ in persona primi acquirentis semel constitit, ad omnes ejus descendentes transit cum eodem effectu continuative; quia inter eos consideratur quidam status, à quo dejici non possunt, cap. querelam de elect. cuius status quasi possessio ex primo actu acquiritur, qui effectum fortitus est, cap. cum ecclesia de causa possess. cap. consultationibus de jur. patron. cum vulgaribus, Abb. in d. cap. cum ecclesia num. 23. Ripa 52. Oldrad. conf. 312. circa finem, Frideric. conf. 134. Balbus de præscription. 1. part. 5. princip. §. octavo quæro num. 1. Lambert. de jure patron. lib. 2. part. 1. quæst. 3. artic. 11. num. 5. Aymon conf. 124. num. 7. Gutierr. conf. 3. num. 1. & conf. 4. num. 32. Covar. pract. cap. 39. num. 6. Selva de benefic. 2. part. quæst. 7. Thomas Tribius decis. Veneta 54. lib. 2. num. 1. Caputaquens. decis. 337. num. 6. part. 2. Achilles de Grassis decis. 5. de jure patron. Mascard. conclus. 173. num. 8. & 9. Rotta decis. 7. num. 1. part. 2. diversorū, septem requisita adducit Gonçales gloss. 45. §. 2. a num. 30. quæ necessaria

sunt, ut iste unicus actus quasi possessionem producat.

13 Unde licet de jure sit differentia in acquisitione, quia in servitutibus continuis ex unico actu queritur quasi possessio cum patientia adversarij, quia non præsumitur quis sine titulo illo jure uti, l. i. §. quod autem ff. de acquir. quotid. In discontinuis itineris, vel actus non nisi per 30. dies continuata sit possessio, l. i. §. hoc interdicto ff. de itinere, quia præsumitur, quod jure familiaritatis bis, aut semel transivit. In negativis vero non à tempore usus, sed à tempore prohibitionis unicus actus enumeratur, Paulus in l. si forte §. sciendum ff. si servit. vindic. Otalora d. cap. 2. num. 6. In nostro casu res est posita extra dubium, cum non per 30. dies, sed per 60. annos continuata fuerit primo nominatae possessio, quoad ipsa vixit nullo ex consanguineis contradicente. Ex quo fit, quod singuli successores, qui in locum primi nominati subrogantur, & substituuntur, non tenentur suam quasi possessionem de novo probare partibus auditis; ita ut de illo jure constituendo amplius controvertatur, sed per nudam facti probationē de illo statu, seu quasi possessione in possessorio judicio, non vero de proprietate docere, ne deterioris fiant conditionis, quam fuerit eorum prædecessor, quem in statu, & sanguine cum suis qualitatibus refixunt in jure patronatus semel coram Ordinario justificato dixit Gonçales gloss. 18. num. 26. praxis Napol. cap. 63. num. 3.

14 In tertio: An detur attentatum, eo quod Actrix lite pendente adjicit Eborensem Archiepiscopum, à quo novum titulum, & concessionem impetravit, & obtinuit, & puto non committi attentatum, quando actor lite pendente à superiore acquirit titulum, quo co-adjuvet intentionem jam fundatam: sicut alias non dicitur attentare emphyteuta, qui pendente lite ad dominum recurrit, Cabed. decis. 120. num. 8. Staphil. de sign. just. fol. 416. n. 6. Sicut alias alienans lite pendente non attentat,

Cabed.

Cabed. ubi supra num. 5. Hercul. de attent. cap. 12. num. 5. Stephanus Garcia decis. 70. quia ut consideretur attentatum, debet adversarius spoliari aliqua possessione, vel turbari, vel amoveri ab statu, in quo erat lite pendente, Rotta nova decis. 2. tit. de rest. spol. num. 1. Quod non datur respectu novi tituli, cuius confirmatio pendet à futura causa, & sententia, Cabed. ubi supra num. 6.

**15** In quarto tandem, An Actrixi possit objici, quod non sit de sanguine, vel linea defuncti, non obstante, quod ejus mater per 40. annos possederit? Et videtur posse: quia licet attento jure Hispano, ex l. 45. Tauri, possessio civilis transeat in sequentem in maioratu, ratione cuius competit remedium adipiscendæ contra simplicem detentorem, ut per Gomes ibi num. 118. & seq. Tamen in hoc Regno nulla civilis possessio transit in maioratus successorem: atque ideo ordinariè debet agere reivendicatione, & translatione dominij, quod acquisivit ex persona primi possessoris, cui etiam nomine sequentium possessio tradita censemur, in quo judicio omnia possunt objici, quæ tale dominium enervent, tum præscriptio ordinaria non sufficiat ad acquisitionem recum maioratus, l. 2. C. de usucaption. pro emptor. l. fin. §. sed quia, & §. fin autem C. commun. de legat. Gomes l. 40. Tauri num. 81. & secundum communem immemorialis requiratur cursus, de quo latius infra dicemus.

**16** Unde cum in nostro casu Actrix reivendicationem intendat, dominium debet plene probare, alias reus absolvit debet, l. fin. C. de reivendicat. Barbos. in l. si alienam num. 5. ff. solut. matrim. ubi plura exempla in ijsdem terminis: & fuit Angel. in l. liberorum ff. de his qui notant. Abb. in cap. pervenit qui filij, Jaf. in l. neque professio num. 3. C. de testam. Alciat. reg. 1. præsumpt. 49. num. 2. Roland. conf. 32. num. 1. lib. 1. Covar. 2. part. de sponsalib. cap. 8. §. 3. num. 1. Surdus conf. 1. num. 62. Quare cum Actrix solum quasi possessionem

alleget, non probat dominium, quod proprietatem denotat, nec illi prodelle potest, quod suam quasi possessionem per 40. annos continuatam doceat, quia illa possessio longissimi temporis in maioratibus non transfert nec directum, nec utile dominium, cum immemorialis sit necessaria, licet inter ipsos de familia, vel circa modum succedendi 40. annorum spatium sufficiat; quia eo casu non contra maioratum, sed præter ipsius prohibitionem præscribitur, Cabed. decis. 121. Sic debet accipi Aretin. conf. 23. col. 4. Cravet. de antiquit. 4. part. in princip. n. 4. & 5. differentia num. 9. Dueñ. reg. 140. Cavalc. 1. part. decis. 11. num. 48. Imò nec videtur, quod ex ea possit acquiri quasi possessio, quia per possessionem continuatam per tempus à lege dissinitum acquiritur vel dominium directum, vel utile secundum gloss. in Auth. tricennale C. de bon. matern. At vero hoc casu ex possessione habita dicitur acquisita quasi possessio consanguinitatis, cum dominium, seu proprietas in rebus maioratus quæri nequeat illo tempore. Ergo ex possessione quæritur possessio. Quod videtur absurdum, cum debeat esse diversa causa ab ejus effectu, & in hoc casu una, & eadem res est causa, & effectus sui ipsius: & sic datur præscriptio possessio. causata ab ipsa possessione. Quare videtur dicendum, quod in rebus maioratus nec talis quasi possessio acquiritur, sed quilibet, qui pertendit successionem ex sua persona, debet agere, seque habilem ostendere non utendo possessione prædecessorum, quæ nihil conducit.

**17** Verum his non obstantibus dicendum est, quod primo nominata, à qua Actrix causam habet per nominationem factam, & per alia adminicula, de quibus supra, acquisivit jus agnationis præsumptione juris, qua stante tam sibi, quam successoribus ex se idem jus communicatur: & sicut in persona primi acquirentis transferri debuit onus probandi contrarium in adversarios, sic pariter

pariter in persona successorum debet adversarius illam præsumptionem juris elidere, quia ex persona successorum non mutatur jus l. i. C. ut ab hæred. & contra hæred. l. 2. §. ex his ff. de verbis. obligat, & ex illa quasi possessione per prædecessores continuata acquiritur quidam status, in quo omnes successores positi considerantur, cap. querelam de elect. Cavalcan. decif. 44. num. 2. & 15. 1. part. & in tract. de tute n. 272.

18 Quare in præsenti casu quia Reus detinebat res maioratus ab illa familia possessas, quando proximiorem ultimo possessori repellere volebat, oportuit, ut probaret Actricem non esse de familia primi institutoris, quod in præsenti factum non extitit, sicque debet accipi l. fin. C. de reivendicat. ut non procedat, quando pro agente adest juris præsumptio, quia ipsa sola legitimam efficit probationem, gloss. in l. si tutor petitus C. de peric. tutor. l. si quis locuples ff. manumiss. testam. & in l. licet Imperator. ff. de leg. i. l. 3. C. de epochis pub. lib. 11. Alex. cons. 126. vol. 6.

19 Insuper Reus tantum abest, quod de defectu actionis agentis opposuerit, quinimò illius jus agnovit, & approbavit, dum in contrarietate ait,

se nominationem habere factam ab ultimo possessore, qui frater erat Actricis, sequi adstruit recte ab ultimo possessore nominatum, & in forma institutionis, quod quidem est in fratre Actricis approbare legitimum ipsum fuisse successorem, quæ legitimitas ad Actricem ipsius sororem legitimam porrigitur, cū ab eodem stipite descendant: quam tamen nominationem non rite factam, & contra formam institutionis satis pateat, cum Reus sit extraneus. Cum ergo de viribus utriusque nominationis agendum sit, non est dubium actricem, tam ex sua persona, tanquam proximiorem, ultimo possessori, quam ex nominatione præferendam, cum nihil reus opponat de ipsius, & prædecessorum incapacitate, imò cum se defendat nominatione habita ab ultimo possessore, non potest objicere defectum ipsius, cum ab eo causam habeat, ex Bart. in l. si urbana prædia ff. de condit. indebit. Gamma decif. 16. Et ultra supradicta Rei nominatione alio laborabat vitio, de quo Molin. de primogen. lib. 2. cap. 5. num. 41. & seqq. Atque ex his revisionem cū D. Doctore Luis Mendes Barreto Juris consultissimo viro denegandam duximus.

### S U M M A R I A.

2  N possit vinculo maioratus subjici emphyteusis.

Emphyteusis perpetua maioratui subjici non potest. ibi.

3 Contra legem contractus emphyteutici est, ut emphyteusis alienari valeat.

Emphyteusis continetur in restitu-  
tione fideicommisi. ibi.

4 Contraria verior opinio.

4 Emphyteusis sine domini consensu  
nullo modo potest maioratui appli-

cari.

5 Emphyteusis etiam liberae nominationis non continetur universalis fi-  
deicommisso.

6 Explicata sententia Ripæ.

Fideicommisarius universalis non  
est hæres, licet habeatur loco hæ-  
dis. ibi.

7 Praxis observat emphyteusim per-  
petuam posse maioratui supponi.

8 Exemplar ut fidem faciat, quæ re-  
quirantur?

9 Commissi delictum non egreditur  
per-

## DECISIO XXVI.

119

*personam committentis.*

*Exploditur sententia Caroli Ruy-  
ni. ibi.*

*Exploditur sententia Menochij.  
ibi.*

*Exploditur sententia dicti Patris  
mei, dum sentit dominum, qui em-  
phyteutam non expulit, posse expel-  
lere ejus heredem per exceptionem.*

*ibi.*

**10** *Emphyteuta non potest alium sub-  
se constituere domino inconsulto.*

**11** *Sententia lata contra legitimum  
contradictorem successoribus no-  
cet.*

**12** *Per commissum possessoris privan-  
tur successores spe successionis.*

## DECISIO XXVI.

*An dominus directus; qui in emphyteusim concessit domos maioratus, possit illas  
revendicare, quando possessor sub umbra sibi tituli eas alij in emphyteusim  
concedit? Ad Ordin.lib.4.tit.38.*



UM N. possessor mai-  
ratus d' Oliveira domos  
dicto maioratui annexas  
in emphyteusim perpe-  
tuam concessisset, ab an-  
tiquo Sanctio Gomesio

do Avelar certa statuta pensione, con-  
tigit, quod hic utilis dominus maioratu  
pariter suorum bonorum instituit, & eas  
domos in fideicommisso, & vinculo  
inclusit; quæ omnia non apertis docu-  
mentis ostendebantur, sed per argu-  
menta, quorum erat primum; quod of-  
tendebatur quædam sententia habita  
tempore Regis Alfonsi, apud quæ cōquesti  
fuerant successores primi institutoris,  
quod bona dicti maioratus do Avelar  
non sufficiebant ad subeunda maioratu  
onera, & ideo aliquod ex oneribus  
injunctis erat diminuendum. Qua oc-  
casione Dominus Rex informationem  
suscepit, & ibi sit earum domuum men-  
tio. Deinde aliud erat argumentum,  
quod cum hujus capellæ bona, in mo-  
numento ( vulgo tombo ) describeren-  
tur, hæ domus ibi descriptæ reperiun-  
tur, & sub horum titulorum umbra, &  
fide tanquam res maioratus possiden-  
tur: quo tandem evenit, quod abhinc  
34. annis maioratus hujus possessor eas

sub emphyteuticavit sine domini direc-  
ti facultate, tuncque dominus direc-  
tus contra utilem egit, obtinuitque  
sententiam, ut rem dimitteret ex commis-  
si causa, & titulo judicati hodie posside-  
bat per spatium 20.annorum.

I Modo novus successor maioratu  
do Avelar agit adversus dominum,  
domos petit, & ipsarum utilitatem, quæ  
suo maioratui erat unita ab antiquo: id  
comprobans autoritate sententiæ Re-  
gis Alfonsi, & monumenti publici, &  
quod sententia commissi sibi non ob-  
stabat, sed illi solum præjudicium ge-  
nerasse asserebat, contra quem lata fuit:  
maxime quia non se legitime defendit,  
& sententia habita proponebatur per  
confessionem possessoris, qui suam  
omisit defensionem, in qua non potuit  
sequentibus præjudicare: sententia co-  
ram Præside lata est in favorem Rei,  
quam Senatus revocavit: revisio tandem  
petita fuit, & concessa, & placuit senten-  
tiam Præsidis confirmandam, & revocan-  
dam Senatus, & in processu sequentia  
dubia discussa fuere.

Primum: An emphyteusis perpetua  
possit domino irrequisito capellæ uni-  
ti?

Secundum: An sit sufficiens argu-  
men-

## DECISIO XXVI.

mentum unionis, & consensus domini dicta sententia Regis Alphonsi, & monumenti verba?

Tertium: An possessor emphyteusis ex commissi pæna successoribus noceat?

Quartum: An sententia contra possessorem lata successoribus noceat, ita ut impedit ingressum causæ?

2 Et quo ad primum, An possit vinculari maioratui emphyteusis? Variè judicatum dicit Gama decis. 70. Ubi in fine ait, quod si sit perpetua emphyteusis, non potest subjici maioratui; securus si sit generationum; quia tunc saltē ad vitam possessoris valeat annexio: contrarium dicit decis. 214. facta distinctione supra posita, quod emphyteusis ad vitas vinculo maioratus subjici nequeat; si vero sit perpetua, possit: in quo certe sibi repugnat. Hanc ultimam decisionem usu, & praxi Senatus receptam dicit Cabed. decis. 130. Sed fateor, quod ego non satis percipio, quomodo hæc nostrorum pragmaticorum traditio sustineri valeat, cum videam, quod licet emphyteusis perpetua sit dividua, & hereditaria juxta Ordin. lib. 4. tit. 96. §. 23. Et licet ob id videatur posse maioratui subjici, tamen esse tallem non sufficit, quando applicari nequit maioratui circa alterius præjudicium, prout est domini directi, cuius laudemia fraudantur, & prælatio, quando rem venditam maluerit retinere secundum ea, quæ resolvunt DD. in I. fin. C. de jure emphyt. Tiraq. lib. 1. retract. §. 9. gloss. 3. Caldas Pereira de extint. cap. 16. num. 93. Jacobin. in Auth. qui rem num. 164. C. de sacros. eccles. Et licet emphyteutæ liceat nunquam alienare, nec de eo dominus possit conqueri; tamen dum res redditur inalienabilis, tollitur naturalis potentia, sicut alias venditio potest fieri sine translatione dominij I. rem alienam ff. de contrah. empt. & tamenea lege non fit venditio, ne transferatur, l. cum manu sata §. ult. de contrahend. empt. cap. ultim. ac condit. apposit.

3 Deinde contra legem contractus emphyteutici est, ut talia bona alienentur, & subjiciantur oneribus maioratus, & fideicommissi; ita ut ex redditibus emphyteuticis sint solvenda opera pia, anniversaria, & similia, quod repugnat naturæ emphyteusis, & concessionis, cum emphyteusim alienare, vel hypothecare non liceat, maxime quando hypotheca fiat cum traditione rei: explicat Negusan. de pignor. 3. membr. 2. part. num. 78. Caldas Pereira de extint. cap. 5. num. 77. quæ in hoc casu omnino intercedit: ulterius considero, quod si dominus prohibeat, ne talis emphyteusis immittatur in maioratu, valebit prohibitio Cabed. 1. part. decis. 130. num. fin. Pariter ergo dicendum est in tacita prohibitione, quæ inest, cum taciti, & expressi idem sit judicium. Nec obstat opinio Ripæ in I. filius fam. §. divi num. 90. ubi Alciat. num. 21. ff. de leg. 1. dum ex Bart. sententia, in I. si domus §. fin. ff. illo tit & in I. si patroni ff. ad Trebell. & in I. cum virum C. de fideicommiss. sentit emphyteusim posse directo relinqui per fideicommissum: veluti si hæres gravetur mihi restituere defuncti bona, in tali restitutione etiam includetur emphyteusis, Bart. in d. I. si patroni num. 3. & 4. prosequitur Valasc. de jure Emphyt. quæst. 48. per tot. Ergo & maioratui supponi, ut per fideicommissum deferatur.

4 Quia re bene perpensa contraria sententia videtur verior cum Rolandin. lib. 1. cons. 96. num. 11. quod emphyteusis maioratui nullo modo supponi valeat ex rationibus à me à principio assignatis, ut regula constituenda sit negativa emphyteusim nullo modo posse maioratui uniri sine domini speciali consensu, id enim qualitas rei exposcit, & contractus emphyteutici, nam si emphyteusis est ecclesiastica, ea ad extraneos non transit §. emphyteusim in Auth. de non alien. col. 2. Valasc. d. quæst. 48. num. 2. & ideo nec in fideicommissarium ex Bart. in d. I. si patroni num. 4. Molin. lib. 2. cap. 10. post num. 71. Si au-

tem

tem concessa sit in tali forma , ut ad extraneos hæredes transire possit , ut dicit Valasc. d. quæst. 48. num. 5. Prout in hoc Regno ex usu recepto omnes emphyteuticæ concessiones ad extraneos transire possunt , ut dicit Gama decis. 50. n. 6. ( aliter tamen Valasc. conf. 157. num. 6.) adhuc observandum est , quod etiam si consideremus emphyteusim esse liberæ nominationis.

5 Tamen in universalí fideicommisso comprehendendi non potest , nisi aliud accedat , quia cū mediante nominatione emphyteusis acquiri debeat , & non aliter ; ita ut si nominatio expressa , vel tacita à lege inducta non detur , emphyteusis ad dominum revertatur , Ordin. lib. 4. tit. 36. §. 2. incipit : Et finando se: utique sequitur , quod nullo modo nisi præcedente nominatione acquiri possit. Unde hæres nominatus , & gravatus universalí fideicommisso nullo modo tenetur restituere emphyteusim , quam à testatore non accepit , sed à primo cōcedente , qui modū , nec conditionē adiicere potest , ut illam restituat Petro , quia ille , qui sola nominandi facultate utitur , nihil de suo donat , licet in eum , cui donat , videatur beneficū conferre , dum nominatū eligit , tamen nominatus à primo concedente accipit : prosequitur late Gama decis. 5. D. pater meus de nominat. quæst. 8. num. 9. & 12 Ubi omne gravamen removendum à nominatione dicit , nisi quando à nominato acceptatum fuerit ; tunc enim ex novo contractu obligari potest , ut modum , vel conditionem adiectam adimpleat , non vero quando nulla acceptatio præcessit. Quæ omnia à fortiori procedunt in emphyteusi de pacto , & providentia , vel alia , quæ ad certam personarum speciem tantum transire potest. Quod si sit perpetua emphyteusis , & hæreditaria , adhuc consideratur illud grave domini præjudicium circa prælationē , & laudem præstationem , & contra specialem prohibitionem contractus , ne alienetur argum. text. in d. §. divi , ibi : Sed hæc , nec creditoribus , nec fisco fraudi

esse. Ergo & à pari ratione nec domino directo , cujus magis interest rem conservari per se , & non uniti propter facilem commixtionem , qua per temporis cursum potest in totum amitti.

6 Unde dum Ripa intelligit res emphyteuticas in fideicommisso generali contineri posse , illud intelligitur naturaliter , dum quatinus An appellatio bonorum veniat emphyteusis ? De quo Tiraq. de retract. tit. 1. §. 1. gloss. 3. & in l. unquam , verbo bona num. 14. D. pater meus de potest. elig. cap. 4. num. 1. Surdus decis. 93. num. 3. ita ut in restituzione contineri possit , datis terminis habilibus , accedente domini consensu : vel quando emphyteusis sit empta ab utroque conjuge , ut quia tunc in restituzione fideicommissi universalis continebitur estimatio partis testatoris : ut eleganter declarat d. D. pater meus cap. 17. num. 17. Vel quando jubeat testator restitui hæreditatem suam Petro , quem etiam nominat ad emphyteusim ; est enim jūris indubitati , quod fideicommissarius universalis non est verus hæres , licet habeatur hæredis loco , ex l. Marcellus , l. postulante ff. ad Trebell. ibi : Et haberi hæredis loco pro qua parte restituta ei hæreditas fuisset : prosequitur Alex. lib. 2. conf. 8. Unde D. pater meus de nominat. quæst. 8. num. 6. infert , quod fideicommissarius non censetur nominatus , quando hæres instituitur juxta Ordin. lib. 4. tit. 16. in princip. juxta regulam l. magnam C. de contrah. vel committ. de cuius explicatione latissime de nomin. quæst. 10. n. 9. & seqq.

7 Ex quibus in rigore cavendum dicerem à Ripa in d. l. filiusfamilias §. divi ff. de legat. 1. Cabed. d. decis. 130. Molin. lib. 2. de primogen. cap. 10. num. 71. Gama decis. 70. 218. & 214. Flores in d. decis. 70. & alijs eorum opinione in eum sensum accepta , ut generaliter emphyteusis transeat in fideicommissarium universale. Nec enim potest ex ea traditione bene inferri , quod emphyteusis potest maiestate supponi , cum in fideicommisso

contineantur res testatoris, in quibus nihil obstat, ut transmittantur. At vero in emphyteusi versatur domini directi præjudicium, cuius res sine ejus consensu ad aliam personam transfertur, ut sub diversi tituli umbra possideatur supposita oneribus maioratus cū tanto ipsius præjudicio, licet non diffitebor, quod praxis observat in emphyteusi perpetua maioratum posse constitui, quod quidem servandum est. Et hæc praxis confirmatur ex his quæ Menoch. conf. 504. à num. 3. lib. 6. & conf. 158. num. 65. lib. 2. Hippolyt. Rymin. Iun. conf. 18. lib. 1. Bursat. conf. 48. num. 23. Parlador. differ. 73. num. 1. Gama, & Cabed. ubi supra, D. pater reccptar. quæst. 28. num. 72. Quod ampliavimus ad rem censualem, ut de ea fiat maioratus, quia si in re, in qua utile tamen dominium est possessoris, hoc admittimus; à fortiori in re, quæ in totum est possessoris: sic judicavimus in processu Ioannis Lopez cum Balthasare do Sisto: Scriba Quintal. Et constabat ibi censem solvi Regiae Coronæ, & Vicecomiti ejus Donatario, & eo non obstante valuisse vinculum.

8 In secunda quæstione Senatū placuit illa monumenti verba non sufficere; quia licet regulariter probent, ut per DD. in cap. cum causam, de probatio. Valasc. de jure emphyt. quæst. 9. num. 26. Tamen in præsenti obstabat, quod exemplar, ut faciat fidem, indiget pluribus. Primum, quod detur legitima causa transcribendi: secundo, quod fiat auctoritate judicis: tertio, quod iudex videat originale: quarto, quod fiat citata parte, de cuius præjudicio agitur, Abb. & DD. in cap. 1. de fid. instr. Auth. si quis in aliquo C. de edend. Alex. cōf. 112. lib. 4. Nec sufficit verba, seu capitula truncata offerre, quia scriptura non debet edi per partes, DD. in rubr. ff. de novi oper. argum. l. in civile ff. de legibus; quia in monumēto sine partium citatione possunt omnia describi, non tamen hoc sufficit, nisi partes audiantur, ut sic constet de dominio, quia descripta in libro censuali non

probant rem esse meam quoad tertios, Bald. in l. censualis C. de donation. idē Bald. & Salycet. in l. solemnibus C. de rei vendicat. Alex. conf. 10. lib. 4. Zarius conf. 1. num. 52. Nec insuper conducebant verba sententiæ Principis enuntiativa: quia licet in aliquibus probent, & pro lege habeantur sententiæ Regum, Clem. 2. de probation. l. fin. C. de legib. l. nemo C. de sentent. & interloc. Gama decis. 174. num. 10. Tamen non probat, ubi ad aliū finem proferuntur, & ubi verba ad partis postulationem enuntiative emanarunt, late Surdus conf. 505. num. 8. & quod requiratur, ut probent, conf. 546. ubi late, licet probent in pijs, Bart. in l. 1. §. cum urbem, ff. præfect. urb. Tiraq. de pia cum privil. 86. vidēdus Barbos. in l. fi alienam num. 75. ff. solut. matrim. & D. Caldas Pereira de nomin. quæst. 1. num. 33. idem Gama decis. 287. num. 3. & in verbis Principis decis. 333. explicat Cassan. conf. 10. num. 30.

9 In tertia dubitatione quæstio est bimembris: An scilicet commissi pæna transeat ad successores, vel an commissum incurrens ex altera ex pluribus causis jure expressis, sibi solum noceat, vel etiam successoribus, ita ut in eo omnes amittant spem succedendi? Primo casu receptum est crimen tanquam personale non transire ad hæredes delinquentis: dixit servari Gama decis. 17. à num. 2. & decis. 83. num. fin. & decis. 175. quem cum alijs citat D. Caldas Pereira de extint. emphyt. quæst. 18. n. 29. Quod sine dubio procedit, quando dominus scivit commissum, tacendo enim eo casu videtur remisisse, alias securus, Menoch. conf. 248. n. 8. lib. 3. & 304. n. 7. Clarus §. feudū quæst. 64. Corbulus in tit. de privat. ob non solut. Canno ampliat. 45. Osascus decis. 29. & 132. Gabriel lib. 7. cōmun. cōcl. 35. à n. 3. Sicq; ex ploditur sententia Caroli Ruyni cōf. 159. n. 13. quod etiam domino ignorantē extinguitur caducitas: quem ex sententia Bursati confutat D. Caldas Pereira ubi supra n. 31. quia eo casu non ex delicto agitur

agitur, sed ex contractu actione in rem, quæ sequitur quemcumque possessorem, ut ibi num. 32. Sic pariter exploditur sententia Menoch. conf. 304. qui putat caducitatis pñnam ipso jure transire ad hæredes, quia falsum est, cū domini declarationē desideret, qui si scivit, & tacuit, videtur remisisse. Ex quo etiā mihi valde suspecta redditur doctrina Gregor. in l. 10. tit. 4. part. 5. quem sequitur dominus pater meus d. quæst. 18. num. fin. ut dominus, qui de commisso contra defunctum non egit, possit nihilominus per exceptionem hæredem repellere: quod videtur ab omni ratione alienum, ut delictum extinctum reviviscat, ut de eo excipi possit, cum sit notissimum, quod exceptio durat, quandiu principalis actio sublata non est, quia temporalia ad agendum sunt ad excipendum perpetua, quādīu principalis actio non proponitur extincta; alias enim secus: sicut videmus, quod actio perpetua enervatur re à bonæ fidei possessore præscripta longo tempore, ita ut maneat inefficax prima actio brevi tempore, quæ in longissimum esset duratura, l. 1. C. si advers. credit. ibi: *Diuturnum silentium longi temporis præscriptioni corroboratum creditoribus pignus per sequentibus inefficacem actionem constituit, si aebitores, vel qui in eorum jura successerunt, obligatæ rei possessioni incumbant.*

10 In secunda parteq, uod noceat delinquens omnibus successoribus post se etiam in emphyteusi, quæ ad certas, & nominatas personas venire debet, tristissimi juris est: prosequitur doctissime D. pater meus de extinct. cap. 19. à num. 3. & 16. Nec obstat quod in præsenti commissum incursum fuit ex subemphyteuticatione, quam tamen constat fieri posse domino irrequisito, & sic non videtur ex ea causa potuisse privari emphyteutam: ut sensit Valasc. de jur. emphyt. quæst. 13. n. 11. ex sententia Specul. Azonis, & aliorū, quos ibi citat, quia verius videtur non posse emphyteutam aliara sub se constituere domino incon-

sulto, ex Iaf. num. 110. in l. 3. C. de jur. emphyt. Roman. singul. 181. Canonistar in cap. nulli §. nos igitur de rebus eccl. Paris. conf. 85. n. 7. lib. 3. idem Iaf. in l. 3. num. 73. ff. de acq. poss. Beroius post Imol. in cap. potuit de locato num. 106. Valasc. d. quæst. 13. n. 11. & quæst. 38. num. 7. nisi subemphyteuticandi cōcessa fuerit facultas, Campes. de dote 1. part. num. 39. Fabian. de emption. quæst. 28. num. 14. lib. 1. Cujus rei illa est ratio: quia per subemphyteuticationem omne jus emphyteuticum transfertur in accipientem, nihilo penes prium remanente ex Iaf. post gloss. & Alex. in l. 3. §. ex contrario num. 35. ff. acq. poss. idem Iaf. in l. 2. num. 151. C. de jur. emphyt. Riminald. cont. 124. num. 4. lib. 1. & conf. 380. num. 11. lib. 2. Socin. conf. 256. vol. 2. & conf. 96. vol. 3. Bart. num. 3. Alex. 5. in l. ex affe ff. ad Trebell. Afflict. in cap. 1. §. 1. de Capitul. Conrad. n. 17. Ex quo resolvit Acurius in l. fin. verbo alijs vendere de jur. emphyt. emphyteutam vendentem domino directo laudemium solvere debere, non vero emphyteutæ utili, à quo causam habet. Valasc. d. quæst. 38. num. 25.

11 In ultima quæstione sine dubio videtur esse, ut sententia lata contra legitimum contradictem successoribus noceat. DD. in l. saepe ff. de re judic. per text. ibi Molin. de primogen. lib. 4. cap. 8. Covar. pract. cap. 13. per tot. Tiraq. tit. res inter alios num. 55. & 57. faciunt quæ D. Caldas Pereira de renovat. q. 10. n. 18.

12 Ex quibus cum non constitisset legitime dictas domos fuisse maioratu annexas, imò ex epochis præsentatis appareret pensiones domuum ab omnibus hæredibus receptas fuisse, quod repugnat esse maioratu annexas, quia tunc soli possessori domino directo pensio solveretur: maxime quia constabat abhinc 60. annis retro divisas fuisse inter hæredes, ex cujus temporis cursu appetit dividuas esse inter cohæredes, & non ma-

ioratus ex his quæ Valasc. cons. 95. n. 4.  
& cons. 132. num. 17. Et insuper sententiam latam contra dictum possessorem successoribus nocuisse, quia etiamsi res emphyteutica maioratui adjungatur, censetur sub iisdem qualitatibus, & conditionibus, quæ de ipsius natura procedunt, prout est, ut amittatur, si canon domino non solvatur, quia

sub illa conditione censetur illi, & successoribus concessa, ut singuli solvant, alias sequentes in non solvente priventur jure sibi in spe obventuro: ideo placuit, ut etiamsi hæc domus maioratui subesset, recte domino fuerit adjudicata. Atque ex his sententia Senatus revocata est, confirmata alia Præsidis in gradu revisionis: Scriba Chaves.

## SUMMARIA.



*A; quæ Regium patrimonium attingunt, reservantur judicibus Regij patrimonij.*

1. *Privative concessa jurisdictione quando dicatur? ibi.*

2. *Explicata Ordin. lib. I. tit. 9. in fin. princip.*

3. *Literis acceptatis videtur debitum expirasse respectu acceptantis.*

*Acceptatio literarum non nocet; quo usque perfecte solvatur. ibi.*

*Si creditor longius spatium concedit,*

*suo periculo facit. ibi.*

4. *Incompetentia nunquam continet nudam nullitatem.*

5. *Institores an suo, vel domini nomine contrahere censeantur?*

6. *Suo nomine contrahere videntur institores. ibi.*

*Procurator in dubio censetur procuratorio nomine contraxisse. ibi.*

7. *Cōtra institores nulla cōpetit actio.*

8. *Quando institores distrahunt, nulla dubitatio est, quod nomine domini faciunt.*

## DECISIO XXVII.

*An institores acceptato mādato domini ad solvendum, finito negotio, teneantur in sua persona, vel dominus?*


*Abet invictissimus Rex Portugalliae in Provincia Sanctæ Crucis, vel Brasilica ex Summi Pontificis concessione, & privilegio omnes decimas tanquam magnus Magister Ordinis Domini nostri Jesu Christi, quas locavit Gabrieli Ribeiro, ex quibus decimis arcis Præfecto redēcima constituta, & assignata est, ita quod quando Regis decimæ locantur, statim in ipso contractu habeatur ratio redēcimæ, quam idem conductor sol-*

*vere debet Præfecto arcis.*

Contigit, quod dictus Gabriel procuratores, seu institores constituit in dicta Provincia cū mādato amplissimo, & facultate alios constituendi ad omnia, quæ in negotiatione emersissent, quibus præsentatū fuit mandatū Provisoris generalis, quo jubebat, ut procuratori cuiusdā Claræ Gomez uxoris Emmanuelis de Palacios duodecim mille nummos exolverent, quia erat conductor redēcimæ, quæ Capitaneo debebat exolvi.

*Institores acceptato mandato creditori*

ditori consignarunt solutionem in quibusdam sacchari prælis, ex quorum redditibus sequentibus annis non minimā debiti partem creditor consecutus est: rebusque sic stantibus accidit, quod Gabriel Ribeiro decoxit: qua de causa tota negotiatio cū persona conductoris concidit, decimæq; de novo conductori traditæ fuere.

Tunc dicta Clara Gomez egit contra institores, ut sibi solverent virtute acceptationis factæ, ipsi se defendunt, quod eorum obligatio respiciebat mēsam, & negotiationem, quia ipsi nomine sui constitueatis contraxerant, ad quem dirigebatur ipsa obligatio: in Brasilica Provincia contra Reos sententia lata est, quæ revocata fuit in Senatu illius Provinciæ in judicio Coronæ, & Regij patrimonij, à qua sententia provocatum extitit, & in hoc Senatu per expeditores gravaminum revocata fuit sententia Senatus Brasilici, confirmata prima, quæ Reos damnabat, à qua cum revisio peteretur, concessa fuit, & circa causæ discussionem sequentia in Senatu ventilata fuere.

1. Et primo paulisper immorandum ducebant peritissimi Patres circa judicij expeditorum gravaminum incompetentiam, eo quod ea omnia, quæ Regium patrimonium attingunt, etiam inter patres judicio Regij patrimonij reservatur, ex cap. 13. Regiminis §. ult. ibi: *E bem assim todas as causas, que pertencerem a nossa fazenda, & della dependerem per qualquer via que seja, posto que as taes demandas sejaõ entre partes, & nós sejamos ja pagos, avemos por bem, que pertençaõ aos ditos Veadores da fazenda, & elles conheçaõ dellas por auçaõ nova, ou appellaçao: quibus verbis jurisdictio privative ad alios concessa est; explicat late Menoch. præsumpt. 18. 2. part. num. 19. DD. in l. 1. C. de offic. Præfecti urbis: cuius explicationem prosequitur Barbosa in l. 1. art. 4. ff. de judic. n. 113. & seqq. quia quando circa jurisdictionē concurrent concessio generalis, & specialis eodē tempore, sic jurisdictione di-*

stributa quilibet privativè in sua jurisdictione electus censetur, ex reg. l. fol. lemus §. latrunculator ff. de judic. ibi: *Latrunculator de re pecunaria judicare non potest, l. quæro ff. de solution. l. 2. C. de executor. & exæctor. lib. 12. quia jurisdictio divisim concessa secundū qualitates divisas illum privative sequitur, cui commissa est, DD. in l. Titiaæ textores ff. de legat. 1. Barbosa ubi supra num. 120. l. 1. C. de offic. Proconsul. ab speciali, ibi: Legati non solum civiles sed etiam criminales causas audiant: Vātius de nullit. ex defect. jurisd. ordin. n. 177. Caravita ritu 295. num. 18. Aymon. cons. 411. à num. 28. lib. 3. Barbos. ubi supra n. 125.*

2. Nec obstat Ordin. lib. 1. tit. 9. in fine princ. ibi: *Por que se a demanda for entre partes, que não neguem vossos direitos, não pertence o conhecimento do tal caso aos luizes dos nossos feitos da Coroa: quia procedit in juribus Regalibus, quæ alterius ordinis sunt, in quibus judici Regio cognitio non denegatur, quando lis inter partes moveatur, quia eo casu nullum Principis vertitur præjudiciū: sive procedit Ordin. lib. 2. tit. 35. §. 7. & lib. 4. tit. 36. §. 6. d. tit. 9. §. 4. ibi: Não se tratando de prejuizo consideravel, que possa vir a nossa Coroa. At vero in causis Regij patrimonij etiam quādo inter partes versantur, potest aliquando vergeare sententia in præjudicium Principis, sicut in præsenti, ubi contendebatur super solutione salariij debiti Capitaneo: & Regis interest de hoc cognoscere, quia evacuata dicta conductoris obligatione, ipse Princeps tenetur de suo solvere: atque ideo ratione recursus contra Regem, ut solvat, causa interesse Regis intuetur.*

3. Nec pariter obstat, quod dicto Præfecto arcis solutio facta proponitur per acceptationem mandati à dictis institutoribus acceptati, quia qui tradit apocham debiti acceptante creditore, vere liberatur, quia acceptans de novo obligatur, juxta l. filius ff. ad Maced. Bald. in l. quo debito C. de bon. auth. judic. possidend. nam cum

literæ sint expeditæ, & acceptatæ, brevi manu videtur creditori fuisse numeratum, & ab eo iterum penes campore depositum, Foller. ad Marant. part. 6. act. 6. num. 50. quia tatisfit, quod mihi semper magis placuit, non nocere creditori acceptancem, quo usque illi perfecte solvatur, l. si literarum, & ibi Bald. C. de solution. ibi: *Si literarum Aurenonis contemplatione, quas ad Aristonē de numeranda tibi pecunia dederat, recipisse te scripsisti debitum ab Aristone manda-to non impleto. cū petitio debiti maneat in-tegra, nihil legitimam exactionem impedi-re potest*: Rotta Genuense decis. 2. n. 10. Menoch. lib. 3. præsumpt. 134. num. fin. late Bursatus cons. 39. lib. 1. ubi solutio-nem requiri effectu defendit: unde si post acceptatas literas colybicas mer-cator decoxit, antequam solvat, adhuc prior expeditor literæ tenebitur, l. item illa §. vetus de ff. cōst. pecun. quia adhuc solum constitutum inter utrumque ini-tium est, l. ubi quis 28. ff. eod. Non enim nascitur delegatio, nisi recipiens literas quitationem præster prioris debiti, & sic debet explicari Affl. et. decis. 353. ut habeat locum reg. l. 3. C. de novation. vi-dendus Surdus decil. 23. num. 7. elegan-ter Bursatus d. cons. 39. lib. 1. Mantica de tacitis lib. 17. tit. 7. num. 5. Quod sine dubio procedit, dum creditor apocham tradens non longius spatiū elargitur, quam in ipsa ad solvendum continetur, quia prorogato termino suo periculo facere censemur. Quod si quis objiciat, quod in nostro cau ex facto credito-ris spatiū concessum est debitori, ut solveret, & consignata solutio in Prælis sacchari, vulgo *Engenhos*. Ex quo vide-batur nullam cōtra Principem superesse actionem. Tamen adhuc dubitari pos-tet: An Princeps teneatur, cum ipse posse-sionem redditum occupaverit, forte sine culpa conductoris Gabrielis, & cum de his omnibus agendum sit, il-lud judicium privatum est ad omnes causas, quæ Regium patrimonium cō-cernunt: quod cum ita sit, inciviliter quidem expeditores gravaminum de-

hoc gravamine cognoveres; maxime tū hæc causa in prima instantia ad Iudicē Regij patrimonij remissa fuerit: & eodem ordine retento in Curia Brasilica, in eodem judicio de gravamine cogni-tum fuerit: quare non potuit recta via hoc gravamen adduci ad expeditores gravam̄um, cum potius deferri de-buisset ad judicem Regij patrimonij, ad quem spectabat cognoscere, an sua es-set jurisdictio, l. si quis ex aliena ff. de-judic. ne fieret saltus de una specie ju-risdictionis ad aliam.

4. Nec tandem obstabit, quod su-pradicta intuentur simplicem nullita-tem, quæ in Senatu non solet attendi ex inveterata praxi, de qua Valasc. de-partition. cap. 39. num. 72. de quo l. 10. tit. 7. lib. 4. novæ Recopil. text. optimus, qui non solet allegari, in cap. ad petitio-nem de accusation. ubi denegata fuit re-stitutio ex comperta veritate, ultra Pinel. Valasc. & alios Barbosa in doctiss. an-notation. ad Ordin. lib. 3. tit. 63. Quia respondeatur, quod illud obtinebit, ut in Senatu coram judge, ad quem de jure spe-ctat, cognoscatur de causa, quæ in prima instantia coram incompetenti judge incepit, non tamen ut in Sena-tu cognoscatur in tribunali incompe-tenti, quia erit novissimus error, & incom-pentia nunquam continet nudam nul-litatem, cum habeat fomentum legis, quæ non pariter patitur talem senten-tiam valere, Ordin. lib. 3. tit. 75. §. 3. & lib. 1. tit. 5. §. 8. & lib. 3. tit. 87. §. 1. & in alijs mille locis.

5. In altero membro, in quo hujus hæsitationis decisio versatur, in eo con-sistit dubium: An institores, qui solutio-nem debiti consignarunt creditori, cē-seantur suo proprio, non vero domini nomine contraxisse, ut ipsi conveniri valeant? Quæstionem maiori declara-tioni relinquit Bart. in l. fin. ff. de insti-tutor. explicat eleganter Cuman. ibi, Iaf. in §. actionum, num. 5. 1. Institut. de actioni de quo iest l. 7. part. 5. tit. 1. ubi Gregor. faciunt quæ Barbos. in l. si filio §. fin. num. 23. ff. solut. matrimon. plura D. Caldas

Caldas Pereira ad l. unicum C. ex deli-  
ctis defunct. num. 34. & 36. 3. part. idem  
de nomin. quæst. 9. à num. 28.

6 Ex quorum dictis Rei negotia-  
tioni præpositi acceptando solutionem  
videtur suo proprio, non vero domini  
nomine quasi contraxisse, quia tene-  
bantur exprimere, quod nomine officij,  
& procuratorio cōtrahebant, ex d. l. fin.  
ff. de institutor. ibi: *Libertus terminalis re-  
agens Octavij, quibus nomen suæ negotia-  
tionis expressit: & paulo infra inquit:  
Respondi nec jure his verbis obligatur, nec  
æquitatem conveniendi eum superesse: Sic-  
que ex suo contractu institutores obliga-  
ri sentit ibi Bartolus, licet in fine cogitā-  
dum relinquat: pro quo facit text. in l.  
procurator qui pro evictione 67. ff. de  
procurator. ubi celebris gloss. verbo non  
levabitur: nam si procurator fidē suam  
adstrinxit, etiamsi negotia gerere desi-  
erit, obligationis onere prætoris auxi-  
lio non levatur, quia cum pro domino  
vinculum obligationis suscepit, onus  
ejus frustra recusat, & Modestini sen-  
tentia d. loco, quod aperto ore testatur;  
Ulpianus in l. i. §. est autem ff. de exer-  
citor. ibi: *Est autem nobis electio, utrum  
exercitorem, vel magistrum convenire ve-  
limus: l. licet §. possumus ff. nautæ caupo-  
stabul. l. sed et si pupillus §. fin. ff. de ins-  
titutor; non enim debent decipi contra-  
hentes §. si plures eadem lege. Imò ex  
chirographo à Reis præstito, ipsi de  
constituta pecunia conveniri possunt,  
ex sententia Iuliani insl. eum qui ff. de  
constit. pecun. ibi: *Siquid debitum tibi  
approbatum erit, me tibi cauturum, & so-  
laturum, sine controversia tenetur Titius de  
constituta pecunia, tertius enim qui institutor  
vendit, vel cum eo contraxit, non aliter con-  
traheret, vel venderet, nisi illum emptore  
sibi obligatum remanere sibi persuassisset:*  
pungit Barbos. 3. part. rubr. n. 82.**

Nam licet in dubio procurator cen-  
seatur procuratorio nomine contraxis-  
se, quando ad id mandatum præcessit,  
Menoch. d. præsumpt. 49. num. 22. Sur-  
dus decis. 325. num. 8. Illud quidem pro-  
cedit, ubi ex natura rei elicetur conje-

ctura voluntatis contrahentium, alias  
secus, cum etiam ex pecunia mea emp-  
tum mihi non acquiratur, sed ementi,  
quando aliud non expressit, l. i. C. si quis  
alteri, vel sibi, ibi: *Si pecunia patris man-  
cipia comparata sunt, cum emptiones ma-  
tris tuæ nomine factas esse proponas, igitur  
non debes traditione matrem tuam aomi-  
nam fuisse constitutam, &c. & notatur in  
l. si ex ea C. de rei vendicat. ibi: *Apud  
quem collocata fuerat, sibi possessiones co-  
paravit, ipsique traditæ sunt, ut tibi vel om-  
nes tradi, vel quasdam ab eo in te transferri  
injuriosum est: etiamsi sit socius, vel pe-  
cunia communis, l. si patruus C. com-  
mun. utriusque judic. l. si quis societate  
ff. pro socio, exceptis specialibus casi-  
bus, ut in milite est text. in l. si ut pro-  
ponis C. de rei vendic. ibi: *Pecunia tua  
quædam nomine suo comparavit. Præses  
provinciæ obtenuit militiæ utiliæ vendica-  
tionem tibi impertiri, &c. In minore l. cu-  
rator G. arbitr. tutel. in Ecclésia dicit Co-  
var. in capl. de testam. num. 1. profe-  
quitur Barbos. d. num. 82. Nec obstat d.  
l. fin. de institutor. ubi non obligatur ins-  
titutor ex sua promissione, quia proce-  
dit in epistola concepta per verba enun-  
tiativa, quæ de se non producit obliga-  
tionem, cum sit de præterito, & ad solā  
fidem in se ostendendam creditori: ut  
explicat ibi Bart. sequitur Cuman. ad  
fin. ibi, Donel. in tit. C. de exercitor. late  
Cujat. tom. 1. fol. 1204. lit. E. & 1208. lit.  
A. idem 3. tom. fol. 334. lit. D. Surd. conf.  
326. Affl. et. decis. 64. conducunt, quæ  
idem Surdus conf. 19. num. 8.***

7 Verum his non obstantibus con-  
traria videtur amplectenda, quod in  
præsenti nulla contra institutores cōpe-  
tat actio: primo quia licet dubitari li-  
ceat, cuius nomine contractus celebra-  
tus fuerit, quando procurator nihil ex-  
primit, ut in l. procurator ff. de pro-  
curator. prout multis limitationibus ex-  
pli cat Menoch. ubi supra, & Cuman. in  
d. l. fin. qui distinguit inter contractus  
ex utraque parte obligatorios, vel ex  
una tantum per text. in l. eum in 2. res-  
pons. ff. de procurator. & fuit Bart. in l.

## DECISIO XXVII:

procurator qui pro evictione ss. de procur. num. 2. Illud tamen observandum est, quod illa dubietas potest versari in contrahendo ab initio, quia contractus per se hoc, vel illo modo considerari, vel interpretari potest; non vero in distractu, cuius dissolutio intenditur: nec aliter, quam nomine alieno fieri potest, scilicet contrahentis, quia hoc casu materia subjecta repugnat, ut suo nomine quis intendat alium liberare ab obligatione, quam ipse liberans non contraxerat, quia solutio habet naturalem relationem ad debitum praecedens, quod ipso jure extinguitur secuta solutione.

8 Unde fit, quod durante negotiatione, si institutor contrahat, dubitare possumus: An suo, vel domini nomine fecerit? Si vero ea durante pro domino solverit, nunquam suo nomine soluisse presumimus, sed ejus cuius contemplatione fit, argum. l. qui solvendo ss. de negot. gest. ut dominum liberet. Unde ille actus denominatur à suo fine: sive manente illa negotiatione, vel præfectura, institutor convenietur, illa vero disoluta, dominus d.l. fin. ss. de institutor.

Ex quibus principijs deciditur præfens questio, in qua videmus institutores chirographum illius liquidæ quantitatis accepisse, non ut contraherent de novo, sed ut dominum ab antiqua obligatione liberarent: quæ illi incumbebat, tanquam pars sui contractus, in quo illa obligatio solvendi redicimam continebatur; onera enim, quæ contractibus inhærent, non diversificantur ab ipsa obligatione, cui adhærent: cum ergo ex necessitate præcedentis contractus processerint, non est illis imputandum, quod suo nomine gesserint, quod suo nomine geri non poterat. Nec aliud suadent verba chirographi, quæ semper referenda sunt ad obligationem sui principalis, ut in fortioribus terminis meminit Cabed. 2. part. arest. 63. Ubi officialis mercatoris se debitorem fas-sus est, & signavit, & nihilominus eum non teneri judicatum fuit.

Atque ideo sententiam reformat-

dam Senatui placuit: hic annectere eas sum duxi, qui postea decisus fuit in processu Iosephi de Nojosa contra Melchiorem Ponce, in quo dubitatum fuit: An institutor subrogatus in locum primi, qui apochæ dedit nomine mensæ, esset citandus ad recognoscendum, & ut solveret, vel dominus, vel ipse, qui amotus est? Et D. Thomas Pinheiro da Vei-ga acutissimi vir ingenij, & laboris indefessi dicebat subrogatum citari posse; quia illa obligatio erat facta nomine officij: sicut alias colligitur, quod Decuriones, & universitas citari poterat, quia successores repræsentant prædecessores, argum. l. proponebatur ss. de judic. & illud corpus obligatur l. 1. ff. admin. rerum ad civit. Alex. ab Alex. lib. 3. genial. cap. 1. Menoch. de arbitrar. lib. 2. cent. 6. casu 508. Zevall. quæst. 357 quia dicitur unum corpus l. 1. & 2. ff. quod cujusque univers. nomin. l. 1. C. de decret. ab ord. faciend. Sanches lib. 4. Decal. cap. 11. num. 26. Quare poterit citari ad recognoscendum chirographum prædecessoris ille, qui subrogatus est.

Verum contrarium placuit ea distinctione adhibita, quod si ex scriptura ageretur, vel alia simili, in qua recognitio necessaria non est, ut in chirographe equitis, tunc non est dubium contra successorem agi, ac posset fieri contra prædecessorem in officio. Secus vero quando ex chirographo agitur ad recognitionem ipsius, quia recognitio non sit nisi ab eo, qui cognovit contractum ex reg. l. generaliter C. de non numer. pecun. l. publica §. fin. ff. deposit. Rebuff. 1. tom. ad leges Gall. tit. de chirograph. recognit. num. 55. & in l. subfig. natum §. bona ff. de verbor. signif. fol. 292. Si enim repræsentatio personæ sufficeret, utique & hæres posset citari, ut recognoscatur chirographum defuncti: quod negat Ordin. d. tit. 25. §. fin. ex l. Marcellus §. fin. ff. tet. amotar. Quare cum scriptis mercatorum non datur fides, ac publicis, quia non reperiuntur in Ordin. lib. 3. tit. 59. §. 15. licet dicamus

mus, quod eorum contractus non indigent publica scriptura, ut in literis cambij dicit Gama decif. 238. hoc est valde diversum à primo: & ideo obti-

nui non posse compelli, ut recognoscatur ad via ordinaria agendum: Scriba Dominico de Basto.

## SUMMARIUM.

- 1 **M**inor dotem constituere nō potest sine curatoris auctoritate.
- 2 Ponderata l. fin. C. si maior factus. Ætas viginti annorū, licet habeatur pro completa ex forma statuti, non tamen habetur pro cōpleta ad alienationem immobilium. ibi.
- 3 D. l. fin. etiam habet locum in dote,

quia donatio est.

Distinctio facienda est inter dotem datam filiae, vel personæ extraneæ. ibi.

- 4 Frater quādo teneatur dotare sororē. Donatio propter nuptias, & dos in quo differant. ibi.
- 5 Per quinquennium elapsum dos nulliter constituta convalescit.

## DECISIO XXVIII.

*An dos data sorori à fratre minore 25. annis sine decreto judicis convalescat per lapsus quinquennij ex l. fin. C. si maior factus alienation. in 2. parte?*

*Ad Ordin. lib. 1. tit. 87. §. 28. & lib. 3. tit. 42. §. 2.*

 Um Michael Nunez dotem sorori pauperi constituisset in quodam oliveto, in eadem expressit se 20. ætatis annum expleuisse: quam donationē postea cum jam 34. annorum esset, impugnabat eam asserens nullam ob defēctum authoritatis curatoris, & judicis: & quod insuper, ut confirmari posset, indigebat decennio, ex decreto l. fin. C. si maior factus alienation. in 2. part.

1 Cujus actio jure fundata videbatur, quia illa dotis constitutio videot laborare vitio nullitatis, cum à minore sit constituta sine curatoris auctoritate, cui rerum immobilium alienatio interdicta est sine curatore, & judice ex lege, l. lex quæ tutores C. administr. tutor. l. non solum C. de prædijs minor. l. ob æs eod. l. magis puto §. non passim,

junct. l. 1. ff. rebus eorum, Dueñ. reg. 88. ampliat. 5. & reg. 187. num. 3. Doctissimus Mendez de Castro in l. cum oportet 2. part. num. 121. C. de bon. quæ liber. Dominus pater meus ad l. si curatorem, verbo contractum fecisti à num. 1. & verbo implorare num. 48. & verbo læsis num. 87. Ordin. lib. 1. tit. 87. §. 28. & lib. 3. tit. 42. §. 2. Quæ ampliant prohibitionem ad eos, qui veniam ætatis à Principe impetrarunt. Donare autem nec cum decreto judicis valent l. ult. §. ult. C. si maior factus, Menoch. cons. 29. num. 14. nec ob causam nuptiarum sine prætoris decreto, l. prædia C. de prædijs minor. Bart. in l. si constante num. 76. ff. solut. matrimon. nec ex tali dote trāsit dominium sine curatore, l. mulier 28. C. de jure dot. Barbos. in d. l. si constante n. 22. & in l. 1. 1. part. num. 24. & reddit rationem Negus. de pignor.

nor. I. membr. 8. part. num. 24. quia censetur abesse consensus minoris. Unde cum talis contractus, & dotis constitutio sine solemnitatibus juris facta nulla fuerit, nil mirum, si ipse dotans admitti possit contra actum a se gestum ex his, quæ Barbos. §. part. I. I. num. 19. Menoch. lib. I. conf. I. num. 100. Quod sine dubio procedit, quando actus est nullus, quia celebratus contra legis prohibitionem repugnantis validitati tanquam contrariæ publicæ utilitati saltē secundario, I. quemadmodum C. de agricol. & censit. lib. II. Imol. in I. qui superstitionis num. 2. ff. acquir. hæred. I. cum vir in fine ff. de usucaption. latissimè Pinel. in I. I. C. de bon. matern. 3. part. num. 74. & num. 79. ubi late explicat, I. cum à matre C. de rei vendicat. eleganter D. Caldas Pereira 4. part. de jur. emphyt. quæst. 20. à num. 26. Tiraq. le Mort. 7. part. declarat. I. num. 5. & 11. idem Caldas Pereira de emption. cap. 26. num. 17. Barbosa in I. I. ff. solut. matrimon. part. 5. n. 17.

**2** Nec obstat I. fin. C. si maior factus alienationem lib. 5. dum post quinquennium non permittit contractuum rescissionem, quia ex cursu illius temporis omnis defectus decreti suppletur, explicat D. Caldas Pereira ubi supra verbo contractum fecisti, & verbo læsis: quod quidem quinquennium à vigesimo quinto anno connumerandam dicit idem dominus meus verbo infra legitimum tempus à num. 22. vers. quæ est nova dubitatio. Quod non dubio caret in eo, qui veniam ætatis à Principe obtinuit, ex I. ea quæ C. de temp. in integr. restitut. ibi: *Ex eo die, quo indulgentia nostra, &c.* cui non sine violentia fatusit: atque ideo contrarium dixit Menoch. de recuper. remed. 15. num. 152. ex authoritate Ancharan. conf. 34. col. fin. C. de repudiand. hæred. quem ad hoc ponderat Octavius Simoncellus in tract. de decret. lib. 3. tit. 8. num. 77. & pro sententia patris mei contra Menoch. faciunt, quæ Octavianus ubi supra cap. fin. inspect. 2. casu I. num. 13.

& lib. I. tit. 2. inspect. 3. num. 25. vers. his tamen: quia licet ætas viginti annorum habeatur pro perfecta vigore statuti, non intelligitur tamen perfecta quoad alienationem. Ordin. d. tit. 42. §. 2. Et ideo non debet etiam censeri quoad ratihabitionem, cum hæc ratihabitione alienationem inducat, consuluit Paulus conf. 161. lib. 2. & addit Socin. conf. 130. num. 2. vol. I. repetitum vol. 2. num. 235.

Quod si statutum sit, quod maior 20. annorum, minor tamen 24. annorum contrahere possit, non est ampliandum, ut donare possit: atque ex his forsitan melius sustinebitur intellectus colendissimi parentis, quem etiam amplectitur Simoncellus de decretis lib. 2. tit. 4. inspect. 3. num. 19. & rursus lib. 3. tit. 8. inspect. 3. num. 24. & 26. adversus Corneum, & alios.

**3** Respondetur enim prædictæ difficultati, quod d. I. fin. C. si maior factus alienationem, nobiscum non agit in prima parte, sed in secunda, in qua in donationibus confirmandis decenium exigit, ut defectus suppleantur: quod etiam debet habere locum in doce, quæ donatio reputatur ex Valasc. conf. 31. num. 2. Barbos. 3. part. rubr. ante num. 1. & I. part. I. 2. n. 166. I. unica §. accedit C. rei uxor. I. ex morte in fin. C. de paet. convent. Unde Oldendorpius in tract. de jur. singul. ait, quod si is, qui non sit parens, dotat, verè donat, quia talis dos acquiritur ex titulo lucrativo, I. fin. §. si à socero, & ibi Bart. ff. quæ in fraud. Valasc. d. conf. 31. num. 2. Barbos. ubi supra: qui distinguit inter dotem constitutam mulier, quæ postea tradidit marito, & eam, quæ datur ipsi marito: & paulo infra ponit casum in fratre dotante sororem: & sub eadem distinctione decidit, quod si frater in his casibus, in quibus non tenetur sororem dotare, illi dotem constitutat, talis donatio subest revocationi per nativitatem filiorū per I. si unquam C. de revocand. donation. secus si marito donet ex ratione d. §. si à socero, quia

## DECISIO XXVIII.

91

quia ex titulo oneroso accipit, Iaf. cōf. 171. ad fin. lib. 4. Roland. conf. 83. ad fin. lib. 3. Unde cum in praesenti dos assignata fuerit sorori ab extraneo, frater enim extraneus censetur, ex l. unica §. extraneum C. rei uxoris. ibi: *Omnem citra parentem.* Nec teneatur dotare sororem, nisi ille sit dives, & illa pauper, ut per Palat. in repet. cap. §. 24. num. 3. Barbos. 4. part. l. 1. ff. solut. matrim. num. 125. manet in juris terminis donatio, quae non confirmatur nisi decennio, cum de paupertate dotatæ non constet, ut dicamus fratrem non donasse, cum jure cogente id faceret, ex reg. l. donari ff. de reg. jur. Menoch. conf. 29. n. 31.

4 Nec obstat, quod in d. l. fin. excipitur ab illa regula, ut per decennium confirmentur donata propter nuptias donatione excepta, Nata conf. 295. Videtur ergo, quod pariter, & ipsa dos eodem jure debeat metiri, quia sunt casus æquiparati per viam regulæ, nam propter quod unumquodque tale, & illud magis, cap. primum de reliq. & venerat. Sanct. lib. 6. D. pater meus ad l. si curatorem, verbo contractum fecisti, num. 1. ad med. Soar. de las arras num. 4. Barbos. in l. si ante num. 3. ff. solut. matrimon. satisfit enim in donatione propter nuptias esse speciale, quia ex titulo oneroso procedit. Nec de ea potest argui ad dotem à fratre datam sorori, qui extraneus est, & meram liberalitatem exercet: atque ideo non decennium requiritur, sed quinquennium debet sufficere, ut in reliquis contractibus, de quibus Gama decis. 76. per tot. ubi bona additio, quae citat plures.

Plane cum à tempore contractus, & dotis sorori assignatae decennium non sit elapsum, quia ipse in expeditione belli per plures annos detentus proponebatur, utique tempus impedito non currit, l. 1. & 4. ff. ex quibus causis maiores, l. unica C. annali exceptione, & contra præscriptionem ex clausula generali succurritur impedito, Surd. cōf. 268. num. 34. nec indiget protestatione, num. 42. impedimentum excusat, non tamen

dat actionem impedito, Surdus conf. 248. num. 2. & 254. num. 24. de quo quando sit justum Afflict. decis. 29. & decis. 50. prout morbi carceris Surdus conf. 566. num. 12. & causa Reipubl. D. pater meus de renovat. quæst. 5. à num. 23. & quæst. 7. num. 4. ubi distinguit inter impedimentum facti, & juris, & quomodo probandum late Bart. in l. 2. §. quod diximus ff. si quis cautionem n. 2. nec excusat, quando facile removeri potuit, idem Caldas Pereira quæst. 7. n. 5. & quæst. 11. n. 29.

5 Verum contrarium Senatoribus placuit, quod per lapsum quinquennij dos à principio nulliter constituta sorori convalescat; quia licet dos facta sorori à fratre tanquam ab extraneo, si ipsa non sit pauper, & dotans dives (qui est casus, in quo ipse dotare compellitur) meram donationem saperet, ita ut indigeret decennio, ut confirmaretur juxta d. l. fin. in 2. part. Tamen in praesenti constabat sororem esse pauperem, nec habere, unde dotem susciperet: atque insuper dotem fuisse marito promissam in ipso dotali contractu, in quo ipse dotem stipulatus est, juxta l. si pater marito C. de dotis promiss. ibi: *Si pater marito tuo stipulanti promiserit dotem, non tibi, sed marito contra successores competit actio:* & succedit reg. l. fin. §. si à socio ff. quae in fraud. creditor. Ubi constante matrimonio dos in fraudem data non revocatur per creditores; quia dos videatur haberi ex titulo oneroso, & æquiparatur emptori maritus, l. ex promissione 18. ff. de action. & obligation. ibi: *Ex promissione dotis non videtur lucrativa causa esse, sed quodammodo creditor, aut emptor intelligitur, qui dotem petet:* &c. l. sicut 8. §. sed etsi permiserit ff. quib. mod. pign. ibi: *Quod si in dotem dederit, vendidisse hoc casu recte videtur propter onera matrimonij.* Unde si contingat dotem constitui, licet verba dirigantur ad mulierem, si tamen in eo contractu maritus intercedat, & sibi stipuletur, illi dos facta censetur, cum illi agendi actio acquiratur, non uxori. Unde ut dos dicatur

## DECISIO XXVIII.

catur mulieri facta , debet considerari promissio ipsi mulieri ante contractum matrimonij ; quia tunc de ejus manu maritus accipit , & habent locum quæ Barbosa in d. I. part. l. 2. à n. 167.

Cum ergo in præsenti utrique con-

jugi dos promissa fuerit , ex oneroso titulo maritus accipere censetur , nec habere potest locū d.l.fin. in 2. part. Atque ex his fundamentis sententia à peritissimis Senatoribus confirmata fuit: Scriba Gaspar Garces.

## SUMMARIA.



*Rovisorum jurisdictio ad quas causas spectet.  
Et an privative cōcessa? ibi.*

*Nullitas incompetentiæ omni tempore allegari potest. ibi.*

*2 Iurisdictio ordinaria à subditis, & non subditis sub eodem Principe prorogabilis.*

*Prorogatio non solum commodum prorogantium respicit, sed & Republicæ. ibi.*

*Lex Iulia judiciorum ad duo tantum genera judicium ordines rededit. ibi.*

*3 Ordinarius ad certas personas , vel ad certas causas prorogari potest. In prorogatione solum debet attendi, an fiat sub eadem specie jurisdictionis? ibi.*

*4 Etiam si judex habeat jurisdictionē limitatam ad quantitatē certam de consensu partiū de maiori quantitate cognoscit.*

*5 Iurisdictio privativa , & limitata prorogari non potest passive, active tamen potest.*

*Prorogatio nequit admitti cum tertij præjudicio. ibi.*

*Explicata Ordin.lib.2.tit.1. §.14.*

*Explicatur Ordin. lib.3. tit.5. §.3. ibi.*

*Privilegium miserabilium in totū remitti non potest , in particulari potest. ibi.*

*6 In judicem vetitum non cadit prorogatio.*

*7 Provisoris jurisdictione active prorogabilis est.*

*Defensus D. pater meus. ibi.*

*Confutatur opinio Valasc. ibi.*

*8 Renuntiatio fori facta à Lusitano respectu Regni Castellæ nihil valet.*

*Valere tamen plures asserunt. ibi.*

*9 Contraria est verior opinio duobus concurrentibus.*

*Ponderata Ordin.lib.2. tit.1. §.14.  
quæ licet dirigatur ad Episcopos ,  
habet locum in quocumque Principe. ibi.*

*Quilibet dispositio pænalis extenditur in his , quæ respiciunt ipsam dispositionem, licet non extendatur quoad pænam. ibi.*

*10 Sententia lata in Regno Castellæ contra Lusitanum virtute prorogationis nulla est.*

DE

## DECISIO XXIX.

*An jurisdictione Provisorum, de quibus Ordinatio lib. I. tit. 50. sit prorogabilis? Ad Ordinationem lib. I. tit. 50.*



Oram hujus Civitatis Provisore quidam Thomas da Costa actionem proposuit contra quendam Antonium Piz-Magoto pro rei venditæ pretio: cumque causa ad Senatum delata esset, aliquibus Senatoribus placuit, & quidem peritissimis, acta annullanda fore, t. inquam formata coram judice omnino incompetenti, cum ad Provisoris officium spectet specialiter ultimas defunctorum voluntates exequi, ut in Ordin. lib. I. tit. 50. explicator, & tit. 62. ut apud Hispanos testator Peres tit. 2. lib. 5. Ordinam. fol. 142. Sanches de matrimon. lib. I. disput. 33. num. 9. cum seqq. Gregor. l. 3. tit. 10. part. 6. verbo tuyere, Menoch. casu 444. Valasc. conf. 68. Messia Taxa panis conclus. I. num. 49. & conclus. 6. num. 49. Menoch. lib. 4. præsumpt. 125. num. 17. late Blondus Romæ triumph. lib. 2. Unde fit, quod cum eorum jurisdictione ad certarum causarum speciem, & inter certas personas concessa fuerit, sic privative concessa, improrogabilis est, ex Cyno in l. I. C. de jurisd. omn. jud. Gama decis. 219. D. Caldas Pereira ad l. si curatorem in princ. num. 20. & plures quos citat Barbosa in l. I. ff. de judic. art. I. num. 156. Valasc. in specie conf. 27. num. 5. cuius verba sunt: Unde non potest egredi fines suæ jurisdictionis limitatæ ad certas causas, arg. l. solemus §. latrunculator ff. de judic. Bart. in l. in sacris C. de proximis sacror. lib. 12. & infra: nec ejus jurisdictione est prorogabilis, ut habetur in l. I. ff. de judic. & in cap. P. & G. de offici. delegat. ubi Abb. num. 5. Unde illa nullitas omni tempore allegari potest, gloss. recepta in

Clem. unica de sequestr. possess. Covar. pract. cap. 25. num. 4. Cabed. decis. 22. num. 4. Nam licet Cabed. decis. 36. I. part. num. 6. & decis. 159. & Valasc. cons. 65. in fine dicant, quod in Senatu acta sustinentur, & partes de jure suo de novo audiuntur: tamen illud est, quando non magna datur nullitas, & insanabilis ex Gama d. decis. 219. num. 1. atque ideo necessario acta annullari debent.

2 Contrarium dixi, ut de causa cognosceretur, quia Provisoris jurisdictione prorogari potuerit, & quia articulus est dubius, in quo Cabed. decis. 22. I. part. pro hac parte decisum refert, & in contrarium Valascus vergit d. cons. 27. & noster Barbosa alias doctissimus non satis in d. articulo rem dirimit, paucis rem expediendam duxi. Adverto igitur, quod jurisdictione ordinaria quantumcumq; alias limitata sit ad personas, potest à subditis, & pariter à non subditis (dummodo sublinit eidē Principi) prærogari, l. I. ff. de judic. ibi: *Si se subjiciant aliqui jurisdictioni, & consentiant, inter consentientes, cuius vis judicis, qui tribunal præest vel aliam jurisdictionem habet, est jurisdictione: cap. significasti de foro cōp. ibi. Jurisdictione præest, &c. communis in l. I. C. de juridict. omn. judic. Ubi probatur quod procurator fisci, qui habet jurisdictionem limitatam inter fiscum, & privatos, l. I. C. si adversus fiscum, tamen de partium consensu inter privatos jus dicit, ibi: Non quidem fuit competens judex procurator noster in lite privatorum, sed cum ipse eum judicem elegeritis, & is consentientibus adversarijs, sententiam tulierit, intelligitis vos acquiescere aabarre ei ex consensu vestro judicatæ, cum*

M & pro-

& procurator judicandi habeat potestatem inter certas personas, & vos incongruum vobis esse judicem, scientes tamen audienciam ejus elegistis: &c. expendit Paulus in l. testamenta C. de testam. num. 5. gloss. 2. in l. i. C. de Pedam. judic. Ratio est, quia hujusmodi prorogatio non tantum commodum prorogantium continet, sed & Reipublicæ; nam dum prorogant, & consentiunt in judicem non suum, cessant, quæ contra judicem, & ejus jurisdictionem opponi solent, argum. cap. super questionum 27. §. verū de offic. deleg. cap. inter 20. vers. quamvis de re judic. Ordin. in tit. 21. Ac subinde lites brevius, & commodius terminantur: quæ ratio movit legem Iuliam judiciorum, quæ judiciaria appellatur, à Iulio Cæsare Dictatore prolatam, dum judices ordinarios ad duo tantum genera Equestris scilicet, & Senatorij Ordinis redigit, & Tribunos Aerarios substulit, ut caute adjiceret, ut privati consentientes possent cuicunque ordinario judici se subjecere: meminit d.l. 2. vers. lege Iulia, Gellius, & alij relati per Zazium in catalog. legum antiquar. tit. de lege Iulia de adulter. vers. mos, Manutius de legib. Roman. fol. 34. & ita contemptu qualquali si suberat præjudicio ordinarij, ad quem cognitio pertinebat ob maius Reip. bonum, prorogatio admissa est.

3 Quod quidem non solum obtinet, quando ordinarius inter certas personas constituitur, sed quando ad certas causas: prout utrumque probat d. l. 1. ibi: *Cum & procurator judicandi habeat potestatem inter certas personas: agens de causis limitatis inter fiscum, & ejus debitores; utroque enim casu eadem boni publici ratio consideratur, & finendarum litium: quidquid Cynus in d. l. i. involvat, Alex. in d. l. testamenta num. 3. Jaf. in l. si per errorem, num. 4. ff. de jurisdict. omn. judic. quorum dicta non satis aperit Barbos. d. art. 1. à numer. 121. Vnde in prorogatione admittenda, vel deneganda solum attendi debet: An prorogatio fiat sub eadem specie*

*jurisdictionis ordinariæ, vel sub diversa: veluti si judex est causarum civiliū, non fiat prorogatio in criminali, vel è converso; quia cum prorogatio sit extensio ejusdem rei, quæ adhuc est, l. sed si manente ff. de precar. eo casu non esset extensio, sed concessio de novo, quod privatorum potestati non subest, l. privatorum C. de jurisdict. omn. judic. Unde fit, quod licet causa, quæ prorogatur, differat in qualitate ab his, de quibus ordinarius cognoscere potest, adhuc admittatur prorogatio: quia licet causæ differant inter se qualitate, sunt tamen ejusdem speciei, ut quia omnes pertinent ad simplicem jurisdictionem, Bart. in l. inter convenientes ff. ad municipal. Paulus in l. fin. num. 10. ff. de jurisdict. omn. judic. Maranta 4. part. in praxi decif. 6. num. 24. Alex. conf. 68. num. 18. lib. 2. D. D. in l. solemus §. latrunculator ff. de judic. pungit Barbosa d. art. 1. conclus. 1. à num. 79. & seqq. licet ipse ibi contrarium videatur assertere: unde de consensu partium prorogatio fit respectu jurisdictionis, quæ tripliciter fit de persona ad personam, de re ad rem, de tempore ad tempus, gloss. in d.l. i. ubi Bald. num. 5. Ubi dicit de loco ad locum jurisdictionem non prorogari: & rationem assignat, ita ut judex, qui principaliter cognoscere non poterat, posset incidenter, ut in l. quoties C. de judic. text. in l. 2. C. de ordine judic. l. cum civili eod. tit. Quare prorogationem sicut partium consensus inducit, sic pariter eam multa impediūt, prout metus, item error l. si per errorem ff. de jurisdict. omn. judic. Dueñ. reg. 257. Socin. in cap. significasti de foro comp. Quod sine dubio procedit in errore particulari, non vero communi, l. Barbarius ff. de officio prætor. Item pænitentia ante litem contestatam l. si convenerit ff. de jurisd. omn. jud. Insuper personæ inhabilitas, nam minor, & pupillus non prorogant, nisi sibi expedit, Bald. in d. l. i. C. de jurisdict. omn. judic. num. 6. ubi allegat text. in l. non eo minus C. de procurator. Item impedit*

pedit jurisdictionis qualitas , scilicet si sit criminalis,& causa sit civilis , Bart. in l. 1. C. ubi de criminis agi oportet num.3.gloss.verbo judicibus in d. l. 1. C.de jurisdict. omn.judic. gloss. in l.1. & 2. ff. de judic. quia non esset prorogare, sed de novo dare. An autem prorogatio firma sit ante litem contestatam ? Dubitat Covar. in cap. quamvis fol.34.num.7.& contra aliquos Bald. in d. l.1.num. 4. tenet statim formam esse prorogationem, & litis contestationem solum efficere, ne postea habeat locum pænitentia : sicque duplēm esse prorogationem, alteram revocabilem ante litis contestationem, alteram irrevocabilem secuta litis contestatione: quæ litis contestatio etiam non sufficiet facta , ut lis pro contestata habeatur , antequam vere à parte contestata sit : prout apud nos disponit Ordin.lib.2 tit.20. §. 5. & lib. 5.tit.124.in princip.& lib. 3. tit. 51. de quo Gama decis. 147. num. 1. Cum enim prorogatio requirat consensum, ille, qui ex contumacia elicetur, non sufficit, ut prorogata censeatur jurisdictionis incompetentiis , & sic facta contestatio non videtur sufficiens , ita Bald.in d.l.1.C.ubi de criminis.4.

4 Ex quibus elicetur, quod dato vero consensu ex parte prorogantis jurisdictionis limitari jurisdictionem , & ad certas causas tantum,nihil impedit , quod vera prorogatio dari possit , etiam si judex limitatus sit ad certam quantitatem , ut in l. cum quedam puella §. fin. ff.de jurisdict. omn.judic. l. de quare §. 1. ff. judic. l. inter convenientes ff. ad municipal. Tamen ex subditorum prorogatione de maiori quantitate cognoscit , quia illud est in qualitate solum differre, quia ea , quæ per magis , & minus differunt , non differunt specie, l.fin. ff. de fundo instruct. facit cap. cum olim 1. de offic. de leg. ubi ad diversas causas sit prorogatio , sentit gloss. fin. in l. 1. ff. de judic. ad finem tradit Paulus in l.fin. num. 10. & ibi Cagnolus num. 46. ff. de jurisd. omn. judic. Marianus in d. cap. significasti numer. 29. de foro

comp. Maranta d. 4. part. 6. distinct. num. 24. fol. 147. Paulus in conf. 2. ad fin. lib. 2. Barbosa ubi supra numer. 96.

5 Unde illud, quod dicitur jurisdictionem privativam esse improbabilem, ita debet accipi, ut jurisdictione limitata , & privative ad alios alicui concessa , vel ob faciliorem causarum expeditionem , vel ob alias particulares rationes boni publici, non possit lœdi prorogando alterius jurisdictionem , & ita passive, quia cum adit legis prohibitio , pactiones litigantium contra legis prohibitionem non admittuntur : in specie est text. in l. testamento C. de testament. l. repetita, & ibi Bald. num. 1. C. de Episcop. & Cler. Bald. in l. cum eorum num. 8. C. de sent. & interlocut. & in Auth. habita num. 32 C. ne filius pro patre, Guillelm. in cap. Raynuntius, verbo, & uxoret decis. 2.num.129. Ordin.lib.1.tit.51. §. 1. & 3. Barbos. in d. l.1.art. 4. à num. 46. ubi ponit exēplum in domino feudi. At vero active, idest, ut prorogari possit jurisdictione judicis limitati, nihil obstante quominus prorogatio admittatur : & eo modo procedunt iura , quæ limitata jurisdictionis extensionem patiuntur ad alias causas , quæ sint diversæ qualitatis , dummodo non sint diversæ speciei. Cujus rei ratio est : quia prorogatio admitti nequit cum præjudicio tertij , quod considerator respectu judicis privativi , cuius jurisdictione lœditur , & boni publici consideratio , quod instituit ad alias causas certum judicem cum prohibitione aliorum , cuius præcepta infringuntur , DD. in cap. cæterum de judic. ubi Feolin. num. 4. Ruynus cons. 7. num.6.lib. 4. Cabed. decis. 22. num. 2. Ordin. d. lib. 1.tit.5. in princip.& tit.87 §. 2. & lib. 2. tit.63. §. 2.

6 Sicque procedit Ordin. lib. 2. tit. 1. §. 14. dum prorogationem respectu judicis ecclesiastici prohibet in casibus , quorum cognitio sacerularis est : quod observari in Francia afferit

Guillelmus, verbo, & uxorem, decif. 2. num. 53. Aufrer. in tract. de potest. eccl. super laicos quæst. 31. & in Navarra Navarr. conf. 51. de sentent. excommun. num. 5. apud nos Barbosa ad l. 1. ff. de judic. art. 3. num. 139. Unde non obstat, quod vidua, & pupillus, scholaftici, & similes, qui certos habent judices privative ad alios, ex l. unica C. quando Imperator, Ordin. lib. 3. tit. 5. §. 3. & lib. 3. it. 49. §. 2. possint alterius jurisdictionem prorogare, & electione sibi præjudicant de jure Regio, ut in d. §. in fin. licet de jure indecimum. reliquerit Marianus in cap. significasti de for. comp. num. 30. & licet miserationis causæ privilegium concessum remitti non posse dixerint plures ex gloss. in d. l. unica verbo excedere C. quando Imperator, Guillelmus in cap. verbo qui cum alia, num. 134. Nam satisfit cum Barbos. in d. l. 1. art. 4. num. 70. privilegium miserationis non esse remissibile in se, & in totum, quia implicat esse viduam, & pupillum de jure miserabilem, & non habere privilegia miserabilium: hoc tamen non tollit, quod tales personæ possint in casibus particularibus suo privilegio renuntiare, quod in ipsorum est favorem introductum, ne in eo inviti detineantur contra reg. l. quod favore ff. de legib. quia aliud est renuntiare privilegio, quod non est licitum, & aliud prorogare, & in consequentiam actus liciti renuntiare per consequentiam privilegio, cuius renuntiatio non est omnimoda, sed ad illum tantum casum.

6 Ultimo in judicem vetitum, & prohibitum nulla admittitur prorogatio; repugnat enim legis prohibitio, prout est judicis laici respectu clerici

## S U M M

**I** N hoc Regno non permittitur immobilium distraeti sine expresso uxoris consensu.

Barbosæ opinio quod per hanc legem

s. M.

cap. significasti de foro comp. cap. si diligenti eod. & clericus respectu laici in causis sæcularibus, saltem de jure Regio Ordin. d. lib. 2. d. §. 14. Gutierr. lib. 3. praet. quæst. 30. num. 2. Peres l. 7. tit. 1. lib. 3. Azeved. d. l. 3. ad fin. tit. 1. lib. 4. Caldas Pereira de potest. elig. cap. 5. n. 9. facit Ordin. d. tit. 49. §. 2. ibi: Se ella for capaz de prorogação.

7 Ex quibus principijs manifeste apparet Provisoris jurisdictionem, licet limitatam, esse de se prorogabilem active, ut in eum alieni subditi consentire possint, licet ejus jurisdictione passive non prorogetur, quia privative ad alios cognoscit de causis tibi à lege commissis: quod ita accipendum est, dummodo prorogatio non fiat in diversa jurisdictionis specie, scilicet quæ ad causas civiles spectat: cuius opinionis fuit Cabed. decif. 22. quem sequitur, & probat Barbos. in d. l. 1. art. 1. num. 156. citat Gama decif. 219. Nec aliud dicit D. pater meus d. num. 20. agit enim de officiali, qui extra officium suum, & in rebus ad se non spectantibus scribit, & de judice, qui se alienæ immiscet jurisdictioni, cuius gesta sequitur aperta nullitas Ordin. lib. 1. tit. 5. §. 8. & tit. 11. §. 2. & lib. 2. tit. 63. §. 10. Non vero agit de proroganda judicis incompetentis tantum, non vetiti, nec prohibiti jurisdictione: Valscus autem, & jura ab eo citata diriguntur in judicem vetitum, & prohibitum. Unde vir ille doctissimus dum infert ad Provisoris jurisdictionē, eamq; dicit improrogabilem, non bene videtur attendisse ad juris fontes. Atque ideo merito ab ejus traditionibus discedit Barbos. in d. l. 1. à num. 121. & 156. Scriba Lemos.

## A R I A.

non excluditur consensus per item  
pus collectus. ibi.

2 Metus reverentialis an sufficiat ad  
rescissionem contractus.

3 Vbi qui reverentiale metum pa-  
titur,

**titur, laeditur enormiter, contractus annullatur.**

**4 In metu gravi uxori incusso requiritur, ut cadat in constantem famam.**

*Non requiritur realis pæna illatio, sed sufficit timor probabilis. ibi.*

**5 Quinque conditiones requiruntur in metu.**

**6 Sufficit probare minas, licet nihil amplius probetur.**

**7 Probatis verberibus contractus rescinditur.**

*In metu magis creditur duobus testibus affirmantibus, quam pluribus negantibus. ibi.*

**8 Metus, qui difficilis est probationis, per indicia, & conjecturas probatur. Qualibet conjectura requirit duos testes. ibi.**

*Quis sit metus sufficiens, relinquimus.*

## DECISIO XXX.

*An alienatio facta à marito consentiente uxore per metum valida sit, & metus quomodo purgari valeat? Ad Ordin.lib.4.tit.48.*



Um Monacha da Cunha Portuensis Civitatis matrimonio constante mandatum generale ad vendenda immobilia concederet marito, metu gravissimo compulsa, quia evaginato ense consensum extorserat, ipse domos vendidit, & post venditionem in Brasiliacam Provinciam discessit: mulier per longum tempus siluit, & post mariti discessum dominum directum adiit, ut venditionem approbaret, & de obitu mariti certa litem emptori movit, ut domos dimitteret. In cuius rei favorem in Portuensi Senatu sententia prolata

tur arbitrio judicis. ibi.

Plurimum juvat, si uxor sit protestata se per metum consentire. ibi.

**9 Contractus per metum injuriosum gestus an sit nullus?**

**10 Contractus metu gesti validi sunt.**

**11 Contractu rescisso an fructus veniat à tempore ipsius?**

*Tertius emptor, qui nescit metum incussum, bona fide facit fructus suos. ibi.*

**12 Interpretata l. si mancipium C. de reivendicat.**

**13 In restituendo emptori pretio quid observandum.**

*Per impressionem mariti tertius pretium non amittit. ibi.*

**14 Hæc actio quo tempore duret?**

**15 Superveniens consensus quomodo elici possit.**

fuit: & in hac superiori divisio Senorum votis inferioris Curiae sententia revocata extitit, condemnato Reo. Et quia plurima dubia obiter tacta, & decisiva fuere, & materia est quotidiana, quia passim ad Senatum similes causæ deferuntur, operæ pretium duxi aliquantulum in ea immorari: agebatur namque in processu de metu, & minis mariti, & an contractus redderetur nullus de minarum probatione, & metus purgatione, pretijque restitutione emptori facienda. Quæ omnia speciali indigent nota: ideo in ea re insudandum duxi, & pro terminorum cognitione sequentiā noto.

**1** Primo, quod supposito, quod in hoc Regno immobilium distratio absq; expresso uxoris conseasu per scripturam publicam prohibita est, ex Ordin. lib.4.tit.48.quam satis explicant Pinel. in l.1.3. part.num.19. de bon. matern. Valasc.conf.83. num. 4. & conf. 77. & 85.Cabed.decis.31. Caldas Pereira ad l. si curatorem , verbo cum non absimilis num.33. Barbos.in l.1.5. part. num.36. & 37. & in l. divertio §.fin. Cassan. in consuetud.rubr.4. §.7. num. 12. Avend. de exeq.mandat.cap.12. num. 37. Gama decis.260.& decis.270. Licet per hanc legem non excludi consensum præsumptione juris ex temporis diuturnitate collectum, sentiat Barbos. in l.2. §.fin. ff. solut.matrimon.num.30. Cujus opinio in puncto juris videtur verior, per text. in l.si filius 10.C.de petit.hæred.ex Gomez 2.tom.cap.11.num.17. Tiraq. post leges connub.gloss. 7. num. 40. Soares de las deudas num. 28. Lamberteng. de contract. gloss. 7. num. 54. DD. in cap. pervenit de empt.per text.ibi.

**2** Contra hujusmodi consensum expressum , vel opponitur de metu reverentiali, vel de metu gravi. In primo non sine lite est : Ad sufficiat ad rescissionem actus : Negant Bart.in l.1.ff.quarum actio §. quæ onerandæ , per text. ibi Angel.in §.quadrupli Instit. de action.num.8.Boer.decis. 100.num.9. Gutierrez. de jurament.confirm. 1. part. cap.1. num.15. & in Auth. Sacramenta num. 93.C. si adversus, Molin. de primogen. lib.2.cap.5.num.9. Gomez 2. tom. cap. 14.num.27.Covar. de sponsalib. 2. part. cap.3. §.6. num. 4. Padilla in l. interpositas num.16.C.de transaction.Mascard. conclus.1035.num.27. Pro qua sententia est text.in l. si patre cogente 22. ff. de ritu nuptiar.l.fidejussor.26. §.pater ff. de pignor.l.ad invidiam l. si per impressiōnem C.de his quæ vi, Menoch. qui dicit receptius lib.7. præsumpt. 127. num. 1. quia ampliat num. 9. etiam si uxor clam protestetur se vim pati. Tiraquel. post leges connub.gloss.5.n.39.

**3** Contrariam sequuntur plures in

d. §. quæ notandæ, Soares allegat. 24. Menoch.de arbitrar.cas. 136. plures citati à Tiraq.& Mascard. ubi supra, Flores ad Gamam decis. 250. qui moventur etiam ex l.fin. §. 1. & 2. ff. eo quod metus causa, l. si quis maior C. de transaction. l. pen. ff.de furtis, quibus satisfacit Morla in empor. 1. part.tit. 8. quæst. 23.num. 3. Omnia tamen est concors sententia , quod ubi qui reverentiale metum patitur, læditur enormiter , actus rescindatur ,ex Mascard. ubi supra num.15. & 28. ubi communem dicit Duaren. sub tit.quod metus cap. 1. Padilla in l.interpositas num. 21.C.de transaction. Menoch. d. præsumpt. 127. num. 5. Covar.in cap. quamvis 3. part. §.4.num.7. Huic opinioni videtur accedere nostra Ordinatio dum rescissio nem venditionis celebratae per reverentiam permittit, ibi : *Porque muitas vezes as mulheres por medo, ou reverencia,&c. prosequitur Sanches de matrim. lib.4.disputat.9. num. 12. & disputat. 6. per totum.*

**4** In metu gravi uxori incusso , ut talis dicatur, requiritur, ut cadat in constantem feminam , gloss. & DD. in cap.cum locum de sponsalib. ubi Præposit. Abb.in cap.veniens 1. & cap. consultationi post Butrium ibi eod.tit. Roman.singul.228.Jaf. in l. interpositas C. de transaction.vers. nunc tamen , Are tin.conf. 24. Hippolyt. singul. 578. Decius in reg. in omnibus ff. de reg. jur. num.3. Non tamen requiritur vera , & realis pñnarum illatio, sed sat est , ut intercedat timor probabilis proximæ illationis l. nec timorem ff. quod metus caus. ibi : *Potuisset ea pati , quæ dicimus :* argum.l.3. & seq. ff. de donation. caus. mort. ibi : *Sed periculi , & propinquæ mortis , &c. facit l. 15. tit. 2. part.5. ibi : O le quiziesse dar algunas penas :* Bart. in l.metum autem, num. 1. ff. quod metus caus.Cucus lib.5. instit. tit. 12. num. 157.Sanches de matrim.lib. 4. disput. 1. num.6.

**5** Unde quatuor conditiones requiruntur, ut metus sit gravis, d. l. metum;

tum: secunda, ut cadat in virum, vel fæminam constantem, l. 2. ff. eo quod metus causa: adeo ut non solum metus incusso, sed probabilis suspicio metus sufficiat ad rescindendum contractum: multis comprobant Sanches d. quæst. 1. num. 17. tertia, ut qui infert, possit minas exequi, Cucus d. tit. 12. num. 155. Medices de casib. fortuit. quæst. 7. num. 67. Roland. conf. 83. quarta, ut sit solitus minas exequi, d.l. metum in eodem genere mali comminati, ut per Alex. in d.l. metum num. 2. Bart. in l. de pupillo §. si quis ff. de novi oper. text. in l. novissime ff. quod falso tutor. Georg. Na- ta in cap. quamvis pactum de pact. lib. 6. vers. tertio fallit, Menoch. lib. 3. præsumpt. 126. n. 24.

6 Sed in hoc articulo pluribus pla- cuit, qui receptius dicunt, quod sufficiat probare minas intercessisse, licet amplius nihil probetur, quod maritus sit solitus exequi: consuluit Ruynus conf. 121. num. 6. volum. 4. Padilla in d. l. interpositas num. 20. Merla d. 1. part. tit. 8. quæst. 23. num. 2. Mascard. d. con- clus. 1055. num. 17. Boer. decis. 100. n. 11. Gutierr. de jurament. confirmat. 1. part. cap. 1. num. 15. Alciat. in cap. cum contingat num. 1. de jurejur. Gama de- cis. 250. num. 5. & decis. 262. num. 1. sibi contrarius dicens, quod sufficit minas præcessisse, aut maritum fuisse sollem fævire: sequitur Flores in d. additione decis. 250. Menoch. lib. 3. præsumpt. 127. num. 11.

7 Quando ad probationes hujus metus recurrimus, probatis verberibus, vel flagellis, apud omnes constat con- tractum rescindendum per text. ubi no- nat Abb. in cap. causam de offic. dele- gat. num. 2. Gama decis. 346. num. 1. Bart. in l. si ob turpem ff. de condicet ob turp. Mascard. d. conclus. 1055. num. 17. notatur in l. 2. ff. quod metus caus. & in cap. dilecti eod. tit. Nec requiritur, ut probetur, quod in ipso actu contrahendi incusus est; quia sufficit, ut à parte ante intervenisset, etiam ex longo in- tervalle, dummodo duret eadem co-

gendi, & timendi potestas, & causa, l. 2. C. quod metus caus. cap. 1. eod. tit. Bart. d. l. ob turpem, omnes in l. qui in alie- na ff. acquir. hæred. idem Bart. in suo tract. de Tyrannide col. 6. & in §. si quis d.l. de pupillo quæst. 9. Alex. conf. 1. & 156. vol. 5. Decius conf. 110. & 468. num. 23. & conf. 690. num. 11. Bertrand. conf. 1. num. 87. volum. 2. Hippolyt. in l. pen. num. 14. ff. de quæstion. Jaf. conf. 72. post princip. vol. 1. Ratio est: quia semel in- cussus metus præsumitur durare, An- gel. in l. ad invidiam C. quod metus caus. quod maxime infra decennium procedit, gloss. verbo longe in l. 3.. C. de his quæ vi. Licet alij dicant, quod duret matrim. nio durante, ut per Menoch. d. præsumpt. 126. num. 28. Mascard. con- clus. 10. num. 34. & 36. Nec obstat, si ex altera parte probetur, quod in ipso actu nullæ minæ intercesserunt, quia in hac materia magis creditur duobus te- stibus de metu, quam mille negantibus illum: ita Innocent. in cap. super hoc de renuntiat. commendat. Rebuff. 2. tom. ad leges Gall. fol. 176. num. 15. Maranta disputat. 6. num. 36. Boer. quæst. 100. n. 3. Cursius in l. interpositas C. de trans- act. num. 28. Et quod notario asseren- ti liberum fuisse consensum non cre- datur, Maranta disputat. 6 num. 35. quia per solum vultum terribilem minæ in- cuti possunt, ex Bald. in cap. 1. §. injuria C. de pace juram. firm. Angel. in l. qui in aliena §. fin. ff. acq. hæred. Jaf. in d.l. de pupillo §. si quis ipsi quæst. 5. Maranta d. disput. 6 n. 17.

8 Atque ideo metus, quia diffi- lis est probationis, per conjecturas, & indicia probatur, d.l. metum, Bertrand. conf. 336. num. 6. volum. 1. Boer. quæst. 101. à num. 2. Menoch. conf. 1. num. 273. & de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 126. num. 9. Gama decis. 346. num. 2. Covar. d. cap. 3. §. 5. num. 10. Mascard. d. con- clus. 1056. num. 3. & seqq. Prædictæ tam- men conjecturæ plene probari debent; ut sicut probatio per testes ad minus duos requirit: sic conjecturalis duas saltem habeat conjecturas, quarum

quælibet duobus testibus probetur: ad-  
vertit Boer. decis. 191. in fin. Alciat. conf.  
504. num. 1. & conf. 5. num. 27. Mascard.  
conclus. 1056. num. 9. eleganter Barbo-  
sa 2. part. l. 1. num. 84. Valasc. conf. 154.  
num. 20.

Qui autem sit metus sufficiens, to-  
tum relinquitur arbitrio judicis, ut at-  
tentatæ qualitate rei comminatæ personæ  
incutientis metum, & metum passi, &  
attenta re, quæ per metum fuit extorta:  
& tandem modo incussionis rem diffi-  
niat, attendendo semper quod in fæ-  
mina minor metus sufficit, ex gloss. in  
cap. cum locum de sponsalib. Abb. in d.  
cap. cum dilecti col. 2. Covar. d. §. 4. n.  
9. Boer. d. decis. 101. num. 2. Molin. lib.  
2. de primogen. cap. 3. num. 10. Gama  
d. decis. 346. num. 1. Tiraquel. l. 9. con-  
nubial. num. 160. habito semper respe-  
ctu, an metus fuerit incusus, ut ille  
contractus celebraretur, ex Afflict. dec.  
246. vel si uxor protestata fuerit se vi-  
olenter compelli, quia hæc protestatio  
plurimum juvat, ut in l. at si quis §. ple-  
riique ibi solent testari, & in vers. quip-  
pe protestantur ff. de religios. & sumptu-  
tib. funer. Abb. & alij in cap. fin. de ap-  
pellat. & in cap. 1. quod metus caus.  
Bart. in d. l. de pupillo §. si quis quæst.  
11. Quod pariter habet locum in pro-  
testatione publica, ac in secreta, Bald.  
conf. 165. ad fin. vol. 2. Socin. conf. 263.  
col. 4. vol. 2. post med. & conf. 27. vol. 3.

9 Ex superioribus dependet, ut vi-  
deamus: An contractus per metum sic  
gestus ab uxore sit nullus, vel valeat me-  
ro jure? Nullum dicebat D. Michael de  
Barreira, quem secuti fuere D. Ferdi-  
nandus Cabral, & Alvarus Velho viri, &  
nobilissimi, & Jurisconsultissimi: quo-  
rum patrum sententia aperte compro-  
batur ex l. 1. C. de rescind. vend. ibi: Ir-  
rita est: probat l. qui in aliena §. Celsus  
ff. acq. hæred. ibi: Dominum hæredem non  
facere: in idem est l. qui in carcerem 22.  
ff. quod metus caus. ibi: Quicquid ob  
hanc causam factum est, nullius momen-  
ti est: quæ verba, nullius momenti, in-  
ducunt nullitatem ipso jure, cum ver-

ba sint temporis præsentis, gloss. in l. ju-  
bemus 14. §. œconomus ibi: Privetur, C.  
sacros. Tiraq. in l. si unquam, verbo re-  
vertatur num. 21. quia contractus ma-  
net sine consensu, in quo consistit sub-  
stantia, l. obligationum ff. de action. &  
obligat. Atque ideo ex tali contractu  
dominium non transferri dixit Fortu-  
nius de ultimo fine illation. 2. num. 449.  
Molin. Theolog. disputat. 326. lib. 2. de  
justit. tract. 2. pluribus comprobavit San-  
ches d. lib. 4. disputat. 8. num. 3.

10 Sed quidem verius est contra-  
ctus metu gestos validos esse, licet res-  
cindendi sint actione quod metus causa  
l. si mulier 21. §. si metu coactus 2. ff. de  
eo quod metus l. si metus 84. ff. acq.  
hæred. & probatur ex l. 1. eod. Ubi præ-  
tor ratum non habet, quod metus causa  
gestum est: probat. Instit. de exception.  
ibi: Palam est te Iure Civili obligatum es-  
se: l. fin. C. de his quæ vi, ibi: Præcipimus  
infirmari: sicque dixit Gom. lib. 3. variar.  
cap. 4. num. 1. cas. 6. Gregor. l. 56. verbo  
desfecho tit. 5. part. 5. Menoch. conf. 2.  
num. 17. vol. 1. Padilla in d. l. interpositas  
n. 4. Barbosa 4. part. rubr. n. 28. & plu-  
res, quos citat Sanches d. disput. 8. num.  
4. Nec obstat Ordin. d. tit. 48. in prin-  
cip. quæ videtur nullum reddere con-  
tractum per metum reverentialem ges-  
tum, quia si attente legatur, non ex me-  
tu reverentiali annullat, sed agit de ijs,  
quæ tacuit per metum reverentialem:  
& sic non præstitit consensum expres-  
sum. Unde ex defectu consensus ex-  
pressi annullatur, non vero ex reveren-  
tiali metu. Videndum Gutierr. conf. 16.  
num. 15. Bursatus lib. 1. conf. 72. Cene-  
dus 3. part. collectan. 10. Barbosa 4. part.  
rubr. à num. 29. Afflict. decis. 246. Me-  
noch. cent. 2. cas. 136. Gama. decis. 250.  
num. 346. Surdus conf. 307. numeri 23. &  
conf. 5. 13. n. 43.

11 Proxime his accedit: An rescisso  
contractu fructus veniant à tempore  
ipsius, an à lite contestata? Rationem  
dubitandi facit, quia in hac actione ve-  
niunt non solum fructus percepti, sed  
& qui potuerunt percipi, l. sed & par-  
tus

tus ff. quod metus caus. Jaf. in §. quadrupli Instit. de action. num. 53. quia non differt metum fuisse incussum ab emente, vel ab alio tertio, l. si cum exceptione §. in hac ff. quod metus caus. & ibi gloss. verbo ignorantia, Platea, & Angel. in d. §. quadrupli l. non interest, verbo ab alio C. eod. tit. Insimul non differt sine uxore emere, vel ipsa per metum consentiente. Et tamen Ordin. d. tit. 48. §. 6. disponit, quod qui spreta uxore emit, non faciat fructus suos: Ergo &c. Deinde facit l. si mancipium C. de reivendic. ibi: *Si mancipium per vim, vel furtum ablatum, alij ex nulla justa causa distraxerunt, vendicanti tibi dominium solvendi pretij nulla necessitas irrogetur.* Sed verius est solum à lite contestata fructus deberi, quando emptor non incusserit metum, vel nesciverit metum incussum fuisse à marito; quia tunc ob bonam fidem suos facit fructus: ut est vulgare in quolibet bonae fidei posseflore, l. ex diverso ff. de reivendicat. ubi communis, etiamsi sit factus locupletior: firmat Alex. contra Bart. in l. si vi C. de his quæ vi, num. 8. maxime si lapsum sit trienium, quo usucapiuntur.

12 Nec obstat d. l. si mancipium, ubi negatur pretij repetitio, quando per metum res vendita fuit; quoniam illo casu, ut gloss. ibi, & in l. 3. C. de his quæ vi, advertit, & sequuntur Bart. & alij, pretium non fuit versum in utilitatem vendentis, quod colligitur ex comparatione furti, de quo in illo text. per quā colligitur, ex venditione nullum commodum fuisse assolutum venditorem: quemadmodum nec ex furto solet consequi: & sic illi textui convenit intellectus gloss. & communis. Qua ratione perinde est, ac si illi traditum, vel solutum non fuisset. Secus vero in nostro casu, in quo non probabatur emptori notas fuisse saevitias, imo bona fide emisse, quo casu fructus lucratur, & venditionis pretium illi debet restitui ab uxore, quæ rescindere contractum intendit.

13 Unde in restituendo emptori

pretio distinguendum est, quod si venditio fiat omnino spreta uxore, uxori rem vendicare possit, nec pretium refundere teneatur, nisi probetur in ipsius utilitatem versum fuisse: quia eo casu emptor pretium amittit, Ordin. lib. 4. tit. 48. §. 6. Gama decis. 227. Valasc. conf. 83. num. 6. & contra se habet præsumptionem, quod soli marito solverit, cum sine uxore contraxerit. At vero quando uxor intercessit, licet renitens, & compulsa, ita ut emptor ignoret, nec constituantur in mala fide, utrique pretium solvens habet pro se præsumptionem juris, quod pretium in utriusque utilitatem versum est: tenent plures, quos refert Pinel. in l. 2. num. 64. & 66. quod præsumitur utiliter consumptum, donec contrarium probetur: videndus Rolandin. conf. 64. Joannes Ferrar. in l. eandem 9. ff. de duob. reis, ubi habet, quod præsumptio est, quod ad utrumque provenit pro utili. Et in hoc Regno hæc opinio videtur tenenda, in qua inter conjuges datur bonorum communicatione in simili de patre, & filio simul vendente Boer. quæst. 23. num. 10. Bertrand. conf. 4. num. 17. lib. 1. Unde uxor suam dimidiatem pretij exolvet, & altera dimidia pars ipsius à marito, & ejus heredibus condicetur, quia per impressionem mariti tertius bona fide emens pretium suum non amittit, ex Alex. in l. per impressionem C. de his quæ vi in fine, & ab utroque venditore recipit, ex Bart. conf. 124. arg. l. reos §. cum in tabulis ff. de duob. reis, bonus text. in l. vir uxori §. fin. ff. ad Vellean. Curtius Senior, & plures, quos citat Tiraquell. de retract. §. 31. gloss. 1. num. 4. & Boer. quæst. 23. num. 1. Licet de jure communi multi teneant contra Bart. ex eo quia ad maritum rei familiaris spectat administratio, cap. mulier 23. quæst. 1. Ordin. lib. 4. tit. 66. ibi: *Em poder do marido: Cabed. decis. 106. in princ.*

14 Adhuc supereft, ut videamus, quo tempore duret hæc actio, quæ in rem scripta est, & contra tertios transfig posset.

possessores, & in eo differt ab actione  
doli, quæ est personalis, ut probat l. si  
cum exceptione 34. §. in hac actione  
ff. quod metus caus. ibi : *Et ex hac re  
eum, qui convenitur, et si criminis caret, lu-  
crum tamen sensisse;* Sanches de matrim.  
lib. 4. disput. 8. num. 7. Unde durante  
matrimonio non currit uxori tempus,  
cum precedentis metus causa adhuc  
durare presumatur ex Bart. in l. fin. n.  
7. ff. de condic. ob turpem caus. plures  
sequitur, & citat Gama d. decis. 346. n.  
3. & 4. Menoch. d. presumpt. 126. num.  
28. Mascard. conclus. 10. num. 34. San-  
ches d. lib. 4. cap. 18. num. 7. Quando  
autem uxor soluta proponatur à potes-  
tate viri, videtur, quod agere debet  
intra decennium, ex l. 3. C. de his quæ  
vi. Quas res tali metu possellas à tertio  
possessore longo tempore prescribi pos-  
se asserit, in quo tamen semper videbis  
Pinel. in Auth. nisi num. 35.

15 Ultimo concludam, quod si post venditionem celebratam aliqui superveniant actus, ex quibus appareat mulierem vere consensisse venditioni, metus utique purgatus censebitur; nam si potens, & valens reclamare tacuerit, vel actum positivum fecerit præcedentis contractus approbativum, utique jam censetur omnis coactio abesse, & ratificatur, quod à principio valide gestum est argum. cap. ad id quod de sponsalib. reg. ratihabitationem de reg. iur. lib. 6. cum vulgaribus Menoch. lib. 3. præsumpt. 126. à princip. Gama decis. 348. num. 5. Alciat. in tract. præsumpt. reg. 1. præsumpt. 21. cum Grammatico Cravetta, Cæpola, Mascard. conclus. 151. num. 27. Menezes in l. transactionem, C. de transactione. in p. f. s. sup. mod. 38. 4. mon.

**Ex quibus principijs videbatur sensus**

tentia confirmanda, quia licet probaretur consensum extorsum ab uxore gravissimo metu, cum & occidere evaginato ense, & strangulare uxorem manibus admotis maritus tentasset, ut consensum eliceret; tamen perfecta venditione ipse discessit: & licet non esset dissoluta societas, & adhuc timoris causa subesset, tamen non erat negandum, quod uxor posset judicem adire, & suæ voluntatis protestationem facere: quod si objiciatur, etiam circa hæc versari periculum, quia maritus posset reverti, qui solebat minas exerci, tamen adhuc uxor dominum directum adiit sponte sua, & ab eo imploravit contractus confirmationem: quod quidem geri non potest absque animo ratum habendi marito absente, ut omnis compulsionis causa, & suspicio cesaret. Purgato igitur metu contractus valet à principio. Nec obstat Ordin. tit. 8. quæ consensum expressum requirit, cum videatur hic consensus inductus, & præsumptus, & non expressus. Quia respondetur consensum expressum jam à principio intercessisse, & satis factum fuisse formæ legis: unde dum uxor modo ratificat actum præcedentem, non indiget nova scriptura, quia ex hac approbatione, quæ modo intuetur, colligimus, quod à principio consensus liber, & non coactus præstitus fuit: verum contrarium placuit, & annullatus fuit contractus, quia intercesserat verus metus, qui purgari non poterat, prout in mala fide vere dixit Valasco. conf. 95. num. 16. negans temporis cursu purgari posse, ex doctrin. Bart. in l. fin. num. 17. C. unde vi, Covar. in reg. postessor. 2 part. §. 8. num. 4. Menoch. de recuper. remed. 13. num. 70.

## SUMMARIA.

- 1**  *Effo juris ad petendam renovationem an fieri possit?*  
*Vltima vita solum habet quandam spem pro renovatione omnibus pro indiviso competentem. ibi.*  
*Si admitteretur talis translatio, eset in maximam domini præjudicium. ibi.*
- 2** *Ex consuetudine Regni jus renovationis est legibile.*
- 3** *Hæc consuetudo an extendenda sit ad contractus?*  
*Consuetudo illa restringi debet ad emphyteusim sæcularem. ibi.*
- 4** *Æquitas suggerit, ut dominus renoveret.*

- Pacta contra renovationis beneficium apposita removentur. ibi.*  
*Ius renovationis hodie dicitur esse in bonis. ibi.*
- 5** *Consuetudo sicut in profanis admittitur, sic in Ecclesiasticis.*
- 6** *Non est dispar ratio inter donationem inter vivos, vel per ultimam voluntatem.*
- 7** *Prælegari potest jus renovandi nisi ex liberis, sicut & personæ extraneæ.*
- 8** *Proximiori ultimi possessoris non tenetur rem domino revertenti dimittere, etiam quando generationes finitæ sunt, quia habet remedium renovationis.*

## DECISIO XXXI.

*An tertia, & ultima vita in emphyteusi possit jus renovationis per donationem inter vivos, vel causa mortis in alium transferre, & præjudicare proximiori agnato, etiam si emphyteusis sit Ecclesiastica? Ad Ordin.lib.4.tit.37. §.1.*

**C**um quædā Ioanna Ferroa emphyteusim Canonicorum Regularium in tertia vita possideret cum libera nominādi facultate, ipsa per donationē inter vivos jus renovationis petendæ in quendam Antonium d'Aguiar transtulit: cum moreretur, nominatus possessionem apprehendit, cui cum dominus directus vellet renovare titulum emphyteusis, Hieronymus Ferraō proximior agnatus contra directum dominum, & possessorem prædij libellum porrexit, eo fundamento, quod ipsi tanquam proximi-

ori debebat fieri renovatio, quia emphyteusis erat Ecclesiæ, quæ transire non potest ad extraneos. Praeses contra Actorem in favorem donatarij sententiam protulit, quæ in Senatu confirmata extitit, per D. Didacum de Britto, & Vincentium Nogueira viros Iurisperudentissimos: & ad me devenit super incidenti, cum evictum jam eset in principali confirmatione, & quia res est digna notatu, eam non duxi omittere.

**1** Controvertebatur itaque: An sit cessibilis renovationis jus durante ultima vita, & multa se offerunt, ne valat cesso

cessio tanquam facta de jure extinguendo morte nominantis, argum. l. quod in rerum 24. §. 1. de leg. 1. ibi: *Si usumfructū habeam, illumque legavero, nisi postea proprietatem ejus nactus fuerō, inutile legitum est*: Paulus in 1. 5. ff. de usufruct. legat. l. Titio cum moreretur ff. de usufruct. ibi: *In id tempus, videlicet collatus, quo à persona discedere incipit*: Decius conf. 239. num. 7. & 11. Ubi habet obligationem, seu donationem ab emphyteuta factam expirare ejus morte, si per eum finitur titulus, Afflct. quæst. 392. num. 28. & in cap. 1. §. his consequenter hic finitur lex Frider. num 4. Non enim talis electio post mortem potest sortiri effectum, quando ipsa ultima vita jam nullum jus habet, nec quidquam, nisi quandam spem renovationis omnibus hæredibus pro indiviso competentem. Ac proinde sive donatio fiat inter vivos, cum de præsenti nullum jus competat, sive per ultimam voluntatem, & via relieti, quod in tempus inhabile conferatur, cum jam extinctum sit jus nominantis, seu elegantis, semper dispositio debet censeri inutilis, argum. l. in tempus ff. de hæred. instit. l. existimo 97. ff. de verbor. oblig. tion. l. lex vœtigali ff. de pignor. l. servi electione §. cum fundus ff. leg. 1. tradit Bald. in l. uxori patrui C. de legat. Gomes 2. tom. contract. cap. 12. num. 15. late prosequitur D. Pater meus de renovat. quæst. 18. n. 21. & quæst. 17. num. 8. Sicut alias jus primogenituræ retractus protomiseos prælationis, & similia in aliud non transferuntur, quia personalia: sic pariter nec renovationis jus, quia personale est hæredi, & proximiiori agnato inseparabiliter cohærens, D. Caldas Pereira de renovat. quæst. 13. num. 7. Deinde facit, quia si admitteretur hujusmodi translatio in vita ultimæ personæ, esset in maximum domini præjudicium, qui fraudaretur electione, quam habet inter pares gradu, & gratificatio ne, quia unum alijs præferre potest filiis defuncti, l. unum ex familia §. si de Falcidia ff. de leg. 2. ibi: *Eodem, vel dif-*

*pari gradu satis erit uni reliquisse: domino enim ad instar fideicommissarij conceditur, siquidem juris necessitate adstringitur emphyteusim renovare, ut saltem in eo relevetur, ut eligat ex gradu paribus quem malit, Tiraq. de retract. lig. §. 26. gloss. 2. num. 2. & de primogenit. quæst. 17. opin. 2. num. 23. Aretin. conf. 142. num. 13. Gomes. 45. Taur. num. 57. idem D. Caldas Pereira quæst. 18. num. 23. & quæst. 17. num. 21. & num. 33. Impediturque consolidatio utriusque dominij finita generatione, quia statim emphyteusis expirat, ex reg. l. si unus §. 1. & ibi Bald. & l. epistola §. ult. ff. de pact. Tiraq. de retract. convention. gloss. 2. num. 44. & emphyteutam expelli posse dixit Alex. conf. 131. lib. 4. num. 3. Decius, qui dicit communem conf. 146. num. 7. meminit Gregor. in l. 2. tit. 30. part. 3. Tiraq. le Mort. part. 3. declaration. 2. num. 3. Quod sine dubio procedit, stante clausula apponi solita, quod finita generatione ipse dominus possessionem possit apprehendere, ut in venditore probat text. in l. sub hoc pacto ff. de contrah. emption. argum. l. penult. C. de pignor. action. l. credito res C. de pignor. multis comprobavit D. Caldas Pereira de renovat. quæst. 10. num. 7 & 9.*

2 Deinde, quia si patriæ consuetudinem attendamus, qua ultima persona in emphyteusi jus renovationis legari potest, de qua agit Valasc. conf. 157. num. 10. & 11. utique illa admisit in ultima voluntate, ut jus renovationis legibile sit, prout etiam testatur idem dominus meus d. quæst. 17. num. 20. Ubi adducit arestum Senatus Bracharensis, cuius illa tempestate maxima erat authoritas; aderant enim in eo florentissimo Senatu viri insignes, & longo ævo memorandi: Dominus Didacus de Souza, qui postea ob singulares animi mores creatus fuit Episcopus Mirandensis, & obiit Archiepiscopus Eborensis, D. P. Correa, qui Episcopus extitit Ameensis, & Bartholomæus do Valle, qui recusavit Episcopatum Portuensem;

sem; senio enim erat gravis: Sed illud opus recusat pauci, quos æquus amavit: Doctor Tevius literis insignis, D. Antonius d' Almeida, qui postea inter sacri Palatij Consiliarios est electus, D. Antonius Franciscus d' Alcaçova, qui illius Senatus Cancellarius extitit, Praefectusque Maximus Arcis de Erveredo: & postea à Rege Henrico ultimo in supremum Senatum Supplicationis cooptatus, Procurator Cæsarialis creatus fuit: hos enim, & similes sibi Sanctus Frater Bartholomæus, qui clavum almæ illius Sedis moderabatur, sibi delegebatur.

**3.** Unde cum dicta consuetudo solum recepta reperiatur in ultimis voluntatibus, non debet extendi ad contractus, nec ad alias personas, quam inter liberos, in quibus pietatis ratio consideratur, ut à domino directo ille elegatur, quem in suo testamento pater designavit, qui magis suæ familiæ invigilare creditur, ut velit post se præeligi illum, qui suavioribus moribus imbutus, & qui erga fratres maiorem affectionem ostenderit.

Ultimo quia hæc consuetudo cum laicorum sit, debet restringi ad emphyteuses sæculares, non vero ad Ecclesiasticas, quibus tales consuetudines nocere non solent: sicque debet exponi Ordin. lib. 4. tit. 36. §. 3. & 4. quod non habeat locum in emphyteusi Ecclesiæ, judicatum dicit Gama decis. 2. num. 4. & decis. 377. num. 7. D. Caldas Pereira de nomin. quæst. 7. num. 39. Unde Ordin. lib. 4. tit. 39. §. fin. & lib. 5. tit. 1. jubet, ut circa emphyteusis Ecclesiæ successiōnem, & consolidationem servetur Ius Canonicum, non vero sæculare, Clarus §. emphyteusis quæst. 29. num. 1. Bursatus conf. 43. n. 15. & 37. lib. 1. Azor instit. moral. part. 1. lib. 8. cap. 12. quæst. 11. Sánchez in præcepta Decalog. lib. 2. cap. 19. num. 24.

**4.** Verum contrarium placuit, cuius rei illud videtur esse fundamentū, quod licet ex rigore contractus emphyteutici, & clausulis apponi solitis, finita generatione res emphyteutica libera ad do-

minum reverteretur, & quodam jure cōsolidationis, utile directo domino reunitum censeretur inseparabiliter, ita ut domino liceret emphyteutam expellere, & propria authoritate possessionem ingredi, & pro ea interdicto unde vi experiri, quia ipse civilem semper habet possessionem, Tiraq. de constit. 2. part. ampl. 11. tradit Bald. cōf. 147. lib. 3. quia possessio naturalis fit injusta finita ipsius causa, ut per Tiraq. le Mort. 3. part. declarat. 1. num. 4. Valasc. de jure emphyt. quæst. 18. num. 8. D. Caldas Pereira de renovat. quæst. 18. n. 20. Tamen æquitate suggestente receptum est ut in aliquibus recederetur à rigore juris, quod ita temperandum esse moribus est receptū, ut finita emphyteusi dominus tenere beneficium renovationis impetriri, quando meliorationes adsint ex Valasc. q. 2. num. 7. quia ita decidit ex Bart. sententia in l. 1. §. permittitur ff. de aqua quotid. Caldas Pereira de renovat. quæst. 8. n. 19. & quæst. 9. n. 21. & quæst. 17. n. 25. nobili judicis officio, quod nullā præsupponit obligationē, l. qui per collusionem, §. fin. ff. de action. empt. Bald. de præscript. 4. part. 4. princip. quæst. 30. Ias. in l. prætor ait §. & aliquando n. 15 ff. de novi oper. nuntiat. & ex honestate solū deberi dixit Caldas Pereira de renovat. quæst. 18. num. 25. Adhuc tamen Alciat. placuit, in cap. quod sedem de offic. ordin. post n. 61. renovationem expediri judicis officio mercenario, quod præsupponit ex æquitate actionem, & obligationē dari: & Decius conf. 389. n. 8. afferit, quod ille, cui debetur renovatio, potest rē ab injuste investito evocare. Cumq; labentibus annis dominorum ambitio effrænata evaserit, & sæpe clausulas excogitarēt, & pacta, quibus beneficiū renovationis miseris agricolis adiherent, pariter ex eadem æquitate receptum fuit talia pacta tanquam contra bonos mores apposita rejicienda à contractibus, & nihilominus renovationem concedendam, quia in renovatione concedenda versatur jus publicum, quod privatorum pacto tolli

non potest: prosequitur D. pater meus quæst. 11. de renovation. num. 21. & n. 22. in fine: ubi ita in praxi observari testatur, non obstantibus his, quæ Gama decis. 41. num. 6. & decis. 326. num. 8. idem de renov. quæst. 8. num. 19. Quæ omnia cum ad hunc statum devenissent, in favorem rerum emphyteuticarum possessorum paulisper introductum fuit per quandam tacitam alluvionem, ut illud jus renovationis esse in bonis videatur, & esse patrimonij partem, ita ut pro renovatione obtinenda jus in re competit, dixit Valasc. conf. 157. num. 32 & in tribunalibus judicatum: licet D. pater meus pro eo tamen personalem competere dixerit, de renovat. quæst. 9. num. 5. & quæst. 12. num. 13. & quæst. 19. num. 10. Ex quo apparet, quomodo in his renovationibus consuetudine locorum quotidie per tacitum decremetum detrahatur: unde & emphyteuses dividuas per regiones inter haeredes usu quoque receptum in pluribus locis est, teste Valasc. de partition. cap. 25. num. 7. & conf. 71. num. 11. Insuper receptum, ut illud renovationis jus legari posset, ut recentiori usu observatum teletatur Valasc. d. conf. 157. num. 11. contra ea quæ D. pater meus suo tempore in usu esse dicit quæst. 17. num. 8. qui multis modis impugnat legari non posse: nec aliud dicit q. 9. in princ. quia agit de eo, qui rē trāsfert cū domini cōsensu, ex qua trāslatione præjudicat successoribus, quos succedendi spe fraudat, non vero agit delegando renovationis jure.

5 Ex quibus apparet, quomodo in favorem emphyteutarum quotidie libera disponendi facultas excrescat præter juris communis regulas, & receptas traditiones, quæ consuetudines sicut in rebus profanis sibi locum vendicant, sic pariter obtinere debent in emphyteusis ecclesiæ utili dominio, quod ab ipsa per tituli emphyteutici concessiōnem exivit, & legibus sæcularibus subjicitur, quæ est mens Ordin. lib. 2. tit. 1. §. 6. dum negata utilitate sola reum ad suum judicem remittendum dicit, quia

ex separatione dominiorum utile perse profanum est, & legibus sæculi gubernandum, ex Gama decis. 2. num. 5. & decis. 50. num. 2. & decis. 149. num. 5. & decis. 308. num. 6. & decis. 315. num. 8. D. pater meus de renovat. quæst. 17. num. 9. ad fin. Surdus decis. 160. num. 15. Barbosa l. Titia n. 44. Valasc. conf. 134. n. 13. Costa de success. Regni fol. 102. Pinel. in l. 1. C. de bon. matern. n. 11. idem D. Caldas Pereira 3. part. de potest. eligend. cap. 15. num. 1. & 34. & ultra omnes Gama decis. 41. n. 4.

6 Ex quibus sententiam confirmari placuit, non enim dispar est ratio inter legatum juris renouandi, & inter donationem inter vivos, quoad potestatem gerentis, cum utroque casu consistat in jure competenti post mortem: imò facilius debet admitti donatio inter vivos, cū alienatio in vita cū domini consensu permissa sit, licet noceat spei illorū, qui successionē pertendūt, quorū jus adhuc non est in consideratione de præsenti, & antequam illi deferatur, per mortem possessoris à domino aufertur, sub illa enim conditione illud jus competit agnatis, si possessor aliter non disposuerit: sicut procedunt, quæ D. pater meus d. q. 9. in princ.

7 Solum dubitatio versatur circa legatum, quod domini consensu non expeditur, in quo potuit consuetudo Regni juris positivi regulis derogare, & cōcedere disponendi facultatē prælegandi jus renovationis uni ex liberis, sicut & personæ extraneæ, quando talis sit emphyteusis, quæ ad extraneos transire posset, qualis haec erat, de qua agebatur in præsenti, per illa enim verba liberæ nominationis potest emphyteusis ad extraneos devenire, licet Ecclesiastica sit, late D. Caldas Pereira de nomin. q. 21. & q. 19. n. 21. facit Ordin. lib. 4. tit. 36. §. fin. ibi: *Seos herdeiros, & successores:* quo casu transit ad extraneos, Dueñ. reg. 103. limit. 10. leges autem Regiæ locū habent in emphyteusi Ecclesiæ, Valasc. q. 20. n. 6. Gama decis. 50. n. 6. idem Valasc. q. 17. n. 12. fuit Scriba Chaves.

8 Hic subiectam, quia ad propositum fecit decisio casus etiam valde notabilis super emphyteusi, cuius cum ultima persona dececesset, frater ultimi possessoris, qui dicebatur Didacus Ribeiro de Miranda, possessionem occupavit: Dominus directus se spoliatum afferens actionem proposuit coram me, qui eo tempore in Portuensi Senatu Prætoris Curialis fungebat officio: dominum non restituendum dixi, quia do lo videtur dominum petere restitutio nem rei, quam statim restituturus est, cum præcise fratri, & hæredi debeatur renovatio; extabant enim non mediotria melioramenta: Unde non tenetur proximior agnatus, qui renovationem pertendit, rem dimittere domino volenti ingredi possessionem ex Valasc. d. conf. 157. vers. septimo, quia rem re-

versam non ita facile domini renova vant, sicut de re ad mensam reverfa dicitur in cap. ut super de rebus Eccl. Deinde quia pro renovatione cōpetit jus in re, ex D. Caldas Pereira de renovat. quæst. 7. num. 28. vers. pro hac etiam: & quod possit retineri pro renovatione Gama decis. 333. num. ultim. Quod cum ita judicalem in Senatu Portuensi, revocata fuit dicta sententia, quam, cum causa delata esset per gravamen ad hunc Senatum, revocarunt Iurisconsultissimi domini Custodius de Figueiredo, vir non vulgariter eruditus, Gondiçalus de Sousa, & Nonius d' Affonsoeca Cabral, confirmata mea sententia, alia Senatus Portuensis revocata, quæ proximiorem agnatum amovendum decreverat.

## SUMMARIA.

- 1 **T**estamenta inter liberos qua solenitate indigeat.
- 2 **T**estamentum inter liberos valet, si à parente fuerit subscriptum.
- 3 Subscriptio parentis qualis esse debet.
- 4 Non subscribit, nisi qui in arte scribendi peritus est.
- 5 Duo testes requiruntur, qui videant subscribere.  
Differt testamentum inter liberos à testamento ad pia, quod in hoc requiritur, ut duo testes deponant de contentis in testamento, secus inter liberos.
- 7 Literarum comparatio requiritur.
- 8 Comparationem junctis alijs administriculis satis probare certum est.
- 9 Testamentum patris etiā non subscriptū sufficit, si dispositio probetur.

- 10 Intellectus Ordin. lib. 4. tit. 80.
- 11 Testamentum inter liberos, ut valeat, debet in eo observari aequalitas inter liberos.
- 12 Legatarij an sint idonei testes ad probandam fidem testamenti.  
Legatarij non sunt testes idonei in testamentis inter liberos. ibi.
- 13 Per testes, & filios testatoris non plene probatur fides testamenti.  
Filiij nec pro patre, nec contra testes esse possunt. ibi.
- 14 Liboniano locus est, quando quis sibi, & filiis in potestate scribit.  
Secus si filio emancipato. ibi.
- 15 Interpretata l. cum oportet C. de bon.

- bon. quæ liber.
- Quando sibi quis scribit, testamen-  
tum præsumitur falsum. ibi.
- 16 Legatus vel sumit initium in perso-  
na unius, vel in persona plurium.
- 17 Legatum marito relictum, qui te-  
stamentum scripsit, non valet, &  
in eo habet locum Libonianum.
- 18 Libonianum unde incepit.
- 19 Quando cesset.
- 20 Casus, in quibus pæna remittitur,  
licet relictum non capiatur.
- 21 Libonianum non habet locum in  
testamento communi.
- 22 Maritus respectu uxoris dicitur  
persona extranea.
- 23 Libonianū non habet locum in ca-  
su mixto, & testamento communi.
- 24 Etiam in odiosis fit extensio ad ca-  
sum mixtum.
- 25 Specialis subscriptio quomodo con-  
sideretur.
- 26 In testamento conjugū qualis illa  
subscriptio specialis sit.
- 27 Liboniano non est locus in nunciu-  
pativo testamento.  
Non debet tamen ab scribente le-  
gi. ibi.

## DECISIO XXXII.

De testamento condito à marito, & uxore in eadem charta sine testibus, in quo  
inter liberos disponunt, & sibi ipsi legata scripsit maritus, qui testamētum  
scriperat. Ad Ordin. lib. 4. tit. 80.



Estamentū eadē charta  
condiderāt Hector Mé-  
dez de Britto cum uxore  
Guimar Dias sine alijs  
testibus, & approbatio-  
ne: & in fine ipsius cōti-  
nebantur clausulæ sequentes.

E a todos os ditos tres filhos deixamos  
os terços de nossas almas, & de toda nossa  
fazenda inteiramente, & declaramos, que  
reservamos para nós, ou para qualquer de  
nos todos os usos, & frutos de todos os nos-  
sos terços em nossa vida para o que derra-  
deiro falecer poder melhorar com os ren-  
dimentos a quem lhe parecer, & poderá  
até a hora de sua morte acrecentar, ou di-  
minuir o q̄ lhe parecer a qualquer de nos-  
sos filhos, ou filhas, q̄ lhe parecer necessario,  
& nolo merecer. Et paulo infra: E não  
melhorando o que derradeiro de nós ficar  
com os usos, & frutos dos ditos nossos ter-  
ços a nenhum dos ditos nossos filhos, ou fi-  
lhas, os taes usos, & frutos se partiram

igualmente pelos ditos nossos filhos varoēs.  
Et iterum paulo inferius: E o que der-  
radeiro ficar poderá despêder, como lhe pa-  
recer, os ditos uso, & frutos, sem lhe pe-  
dir conta alguem, nem elle ter obrigaçao de  
dar a pessoa algua.

Georgius Rodriguez da Costa ge-  
ner dicti Hectoris testamentum impug-  
nabat eo fundamēto, quod ejus fides va-  
cillabat, cum nullis muniretur testibus,  
nec constaret manu uxoris fuisse subscri-  
ptum, quam scribendi ignaram assere-  
bat. Atque insuper, quod ipse Hector,  
qui testamenti notulam confecit, sibi in  
eodem testamento, & filiis in potestate  
scriperat, ex quo fiebat Liboniano lo-  
cus ex infra dicendis.

Quibus præhabitib[us] duo discutiēda pro-  
ponebātur. Primū, An valuerit testamē-  
tum quasi inter liberos sine testibus, &  
approbatione sola subscriptione testan-  
tiū? Secundū, An sit nulla illa clausula,  
quæ respicit tertiae dispositionē respe-  
ctu

et tu scribētis, & filiorū in potestate ipsius.

1 Et quoad primum tritissimi juris est, testamenta inter liberos nulla Iuris Civilis solemnitate indigere, l. hac consultissima §. ex imperfecto C. de testam. Auth. quod sine eod. l. fin. C. fam. hercisc. Auth. si modo eod. tit. Auth. de testam. imperfect. col. 8. sufficit namque ut de voluntate constet, Nata in repetit. d. Auth. quod sine, à num. 51. Cephalus conf. 404. num. 3. Clarus §. testamentum quæst. 7. & quæst. 14. Crastus de success. in eod. §. testamētum quæst. 16. Covar. in cap. relatum 1. num. 12. Zevallos quæst. 136. per tot. Mantica lib. 6. tit. 2. à princ. & num. 9. Costa in cap. si pater, verbo in suo testamento num. 2. Boer. decis. 240. Iosephus Ludovicus conclus. 66. vers. quando vero, Menoch. conf. 42. n. 34. Cabed. decis. 199. Valasc. conf. 67. à n. 12.

2 Unde in dubium revocatur: An testamentum inter liberos valeat, quando ab alio scriptum est, & tantum à testatore subscriptum? Et licet in supradictis juribus non reperiatur cautum, ut sola subscriptio sufficiat, tamen satis deducitur ex text. in d. Auth. si modo C. fam. hercisc. & ex d. Auth. quod sine, ibi: *Sine subscriptione à cōtrario*: quia subscriptiens censetur scribere omnia contenta in dispositione præcedenti, principium Instit. de empt. & vend. l. pluribus, ubi Angel. ff. de verbcr. Iaf. in l. si ita stipulatus §. Chrysogonus num. 2. ff. de verbcr. Nata ubi supra num. 34. Mascard. conclus. 1352. num. 65. & est communis ex Valasc. d. conf. 67. num. 8. Gama decis. 61. n. 2..

3 Circa autem modum subscriptionis variant Doctores. Alij namque dicunt non sufficere simplicem subscriptionem testatoris, sed quod debet facere commemorationem testamenti, ne apposito sigillo sine animo testandi fiat, ex Nata ubi supra num. 45. Clarus d. quæst. 14. Valasc. d. conf. 67. num. 11. Mascard. num. 65. ita tamen ut in dūbio præsumatur legisse, quod subscribit, Nata d. loco num. 50. Bart. in l. 1. §. si

quis neget ad fin. ff. quemadmod. testam. aper. Iaf. num. 14. in d. l. si ita stipulatus §. Chrysogonus ff. de verbcr. Valasc. num. 10. facit l. emptor. §. Lucius ff. de pactis, l. sicut §. non videtur ff. quibus mod. pignus, Nata conf. 287. num. 4. decis. Pedamont. 36. num. 3. Rebuff. in tract. de Chirograph. in præfat. num. 50. Mascard. conclus. 1341. ex n. 4.

4 adhuc autem ut subscriptio locum habere possit, requiritur, quod qui subscriptibit, sit peritus in arte scribendi, quia alias non sufficiet, si subscriptiat signo crucis, vel alia simili nota, d. Auth. quod sine: & in eo differt ab eo, qui subscriptibit, ut testis, quia signum pro subscriptione sufficit exaratum ab imperito in arte scribendi. Sicque procedit Ordin. lib. 3. tit. 25. §. penult. ibi: *Por elle feito ou subscripto*, & lib. 4. tit. 80. §. 1. prosequitur Beroius decis. 24. à n. 4. qui requirit, ut adsint duo testes, qui deponant, quod testator jussit scribere: sequitur Iosephus Ludovic. conclus. 66. vers. quod vero, Mascard. d. conclus. 1352. n. 67.

5 Unde illud videtur magis receptum, quod in probanda subscriptione debent observari sequentia. Primum, quod adsint duo testes, qui videant subscriptere manu propria, ex gloss. in Auth. quod sine, ibi: *Ex duobus tamen maribus, &c.* & in Auth. de testam. imperfect. §. ult. verbo divisione col. 8. ibi: *Dummodo de subscriptione, vel per duos testes, vel per confessionem constet*: sequitur ibi Bald. Fulgoſ. & Iaf. & post alios Nata ubi supra à n. 7. Thomas Grammat. decis. 62. num. 9. ibi: *Non probabit ipsius voluntatem, nisi per duos testes probetur dicta patris voluntas, qui deponant vidisse illam scribere*: sequitur Burgos in l. 3. Taur. 1. part. conclus. 2. num. 104. Valasc. d. conf. 67. num. 12. Cephalus conf. 377. num. 13. & 14. qui dicit indubitatum conf. 464. n. 15.

6 Unde illud singulare manet inter testamentum inter liberos respectu aliorum testatorum, quod etiam in testamento ad pia requiritur, quod

testes deponant de contentis in testamentis : at vero inter liberos sufficit , quod deponant , se vidisse scribere , licet nihil de contentis in scriptura novarent.

7 Insuper ultra subscriptionem requiritur , quod per illa fiat literarum comparatio cum litera defuncti per notarios , juxta l. comparationes C. de fid. instrum. quia cum testes non deponant de ipso negotio , sed solum de facto signi , potest dari fraud. Valasc. d. num. 11. 12. & 15. ubi dicit magis receptum.

Hi tamen testes , licet controversum sit , an juncta comparatione faciant plenam probationem ? Et negative afferat Bart. quem citat Alex. conf. 76. num. 7. & 9. vol. 3. Menoch. conf. 42. num. 34. volum. 1. Burgos ubi supra num. 110. Valasc. num. 14. idem Menoch. lib. 2. cas. 114. num. 22. Mascard. concl. 986. num. 1. Covar. pract. cap. 22. Valasc. conf. 177. n. 4.

8 Tamen alij afferunt comparationem junctis alijs adminiculis plenam efficere probationem , ex Bart. in Auth. et si contraetus C. de fid. instrum. num. 4. Mascard. conclus. 328. num. 7. Menoch. conf. 114. quia in civilibus probationes conjunguntur , l. instrumenta C. de fid. instrum. gloss. verbo legitime in l. 2. §. 1. ff. excusat. tutor. Molin. lib. 1. cap. 5. num. ult. Ordin. lib. 3 tit. 52. in princip. & hæc ultima opinio ex judiciorum praxi receptior , & pro hac judicatur ex Valasc. d. conf. 67. num. 14. in fin. Quibus sic observatis , licet verius sit , quod subscribens non indigeat speciali subscriptione cum commemo ratione testamenti , ut contra Bart. ex magis communis tenuit Valasc. d. conf. 67. num. 11. Tamen adhuc non sufficit simplex sigilli appositi , quia licet non debeat testamenti tenorem exprimere , tamen semper oportet , ut dicat signo hoc meum testamentum , ex eod. Valasc. ibi in fine.

9 Tandem noto , quod paternum testamentum non solum est validum ,

quando à patre est confeatum , & subscriptum , sed etiam quando horum neutrum intercedit , dummodo tamen extrinsecus probetur illud testamentum ipsius esse , d. l. ult. C. fam. hercisc. ibi : *Quibuscumque verbis , vel indicijs : & in Auth. de testam. imperfect. in princip. ibi : Apparuerunt autem ex quibusdam in dicijs , & conjecturis. Adeo ut olim sine declaratione portionum , in quibus filij instituebantur , sustinebatur testamentum , cum magis hoc divinationem saperet , quam interpretationem , ut in d. Auth. de imperfect. testam. ibi : Hanc apprehendentes licentiam : & ibi : Ut divinationibus magis quam interpretationibus , &c. Maiori ergo cum ratione sustinebitur hoc testamentum , in quo constat de partibus , & voluntate testantium cū pluribus adminiculis , quibus juvatur.*

10 Quibus suppositis , videtur dubitari non posse de validitate testamenti , de quo agitur , cum de dispositione plene constet , & utriusque conjugis subscriptione , & ex declaratione in fine , ut siuum adimpleatur testamentum , quod est adminiculum valde considerabile , ex Grammat. decis. 62. n. 9. Mantic. d. lib. 6. tit. 2. n. 2. Valasc. d. conf. 67. num. 15. Nec obstat , quod licet supradicta procedere possint de jure communi , tamen Regia Ordinatio huc testandi modum non approbavit , dum lib. 4. tit. 80. agens de omnium testatorum forma hanc omisit , ibi : *E doutra maneira , &c. Quibus verbis videtur exclusisse modum testandi sine testibus , secuta regulam l. dictantibus C. de testam. Tellius in l. 2. Taur. n. 20. Covar. in cap. eum esses de testam. à princ. Gomes in l. 3. Taur. n. 39. Cabed. decis. 129. n. 3. Verum satisit , quod Ordinatio non loquitur de forma testamenti inter liberos , quæ remanet in dispositione juris communis , ex reg. l. commodissime ff. de liber. & posthum. & in his testamentis testes non esse necessarios omnes dicunt , ex Bart. in l. fideicommiss. §. 1. ff. de legat. 3. & in l. si is qui ff. de testam. Mascard. ubi supra n. 62.*

11 Nec

11 Nec etiam obstat testamento, de quo agimus, quod ad hoc ut inter liberos dispositio valeat sine testibus, & minus solemnis, debet pater in eo servare aequalitatem inter liberos, Manticca d. lib. 6. tit. 2. num. 11. Covar. in cap. Raynutius §. 1. num. 3. alias si inaequaliter disponat, testamentum corruit, quando laesio ascendit dimidiam, Manticca lib. 2. tit. 2. num. 24. Surdus cōf. 29. num. 21. lib. 1. Quia satisfit, quod etsi inaequalis fiat dispositio inter liberos, adhuc valet: ut judicatum refert Gama decis. 61. num. 1. maxime quia etiamsi sequamur contrariam, dispositio parentum in hoc testamento solum versatur circa tertiam bonorum, cuius dispositio libera est in hoc Regno ex Ordin. lib. 4. tit. 82.

Cum ergo parentes de tertia bonorum ad libitum disponant, non potest considerari inaequalitas in divisione dictæ tertiae bonorum, cum in legitima filiorum nulla inaequalitas detur, imo & quoad tertiam inter eos fiat divisio, licet fructus medij temporis in voluntatem patris conferantur: & succedunt quæ Romanus conf. 179. num. 16. & conf. 385. num. 5. quod inaequalitas modica toleratur, dicit communem Socin. Iun. conf. 147. num. 33. vol. 2. & conf. 289. num. 87. lib. 2. Cuman. in l. filius qui in potestate ff. de liber. & posthum. Tiraq. de primog. quæst. 4. num. 4. Covar. in cap. Raynutius §. 1. num. 3. Boer. decis. 240. num. 8. Gabriel lib. 4. tit. de testament. conclus. 6. n. 5.

12 Nec pariter obstat, quod testes, qui in praesenti adsunt, quibus veritas subscriptionis probatur, sint legatarij, quibus fides in hoc adhiberi non potest, ex reg. l. omnibus C. de testibus: nam licet legatarij in testamentis testes esse possint, ut in §. legatarij Instit. de testam. Abb. in cap. nuper de testibus, Dueñ. reg. 409. Mascard. conclus. 971. num. 1, idemque obtineat, quando agitur de publicando testamento, ut in l. publicati C. de testam. Ordin. lib. 4. tit. 80. §. 3. Farin. de testibus quæst. 60. num.

287. quia illorum commodum venit in consequentiam, Paulus in l. qui testamentum num. 4. ff. de testam. ita ut si cut qui potest esse testis ad solemnisandum testamentum, ita pariter possit esse testis ad probandam veritatem ipsius, & subscriptionis. Farin. ubi supra num. 289. Tamen illud videtur fallere, quando testamentum non est redactum in scriptis per notarium, & pendet ejus validitas à testimonio legatariorum, quia tunc non videtur valere eorum dictum, quia tendit eorum testimoniū ad validandum legatum suum. Abb. ubi supra, ubi Felin. num. 11. Alex. cōf. 177 num. 9. lib. 2. Viglius in d. §. legatarij num. 10. Mascard. conclus. 971. num. 3. Deinde legatarij non admittuntur in testamentis inter liberos, sed in testamentis ordinarijs, in quibus maior numerus testium adhibetur, quia tunc eorum fides ex alijs suppletur, & est communis ex Bart. in d. l. dictantibus C. de testam. num. 2. Mascard. ubi supra num. 6. Deinde quia hi legatarij sunt insimul hæredes, cum testatrix solum de sua tertia disposuerit, ex qua dispositione de jure Regio resultat tacita institutio in legitima, Ordin. lib. 4. tit. 82. quo dato omnino à testificando repellendi sunt, d. l. qui testamento, ibi: *In eodem testamento testis esse non potest: §. sed neq;* Instit. illo tit. Conan. lib. 9. commentar. cap. 3. Mascard. conclus. 1357. num. 5. & multum prodest legatarijs, ut sint hæredes, ut accipient titulo prælegati tertiam, quam ab intestato accipere non debent.

Satisfit tamen, quod legatariorum fides ex alijs testibus suppletur, sic confirmiter de subscriptione deponentibus, quibus accedit & uxoris Rei testimoniū, quæ recognovit matris suæ signū: & succedit Ordin. lib. 3. tit. 25. §. 9. quod confessio partis omnes probationes vincit, Ordin. lib. 3. tit. 59. §. 5. & tit. 52. §. 3. & lib. 4. tit. 19. §. 2. Gama decis. 43. Valasc. allegat. 72. n. 27. & 53. alter Valasc. q. 7. n. 27. Caldas Pereira de potest. elig. cap. 7. n. 19.

**13** Quæ tamen difficultas ex supra posita response omnino non tollitur: atque ideo in contrariam sententiam inclinavi, quæ mihi validioribus fundamentis niti visa est: & eomotus fui, quia fides testamenti, & subscriptionis non probatur, cum testes ferre omnes essent filij, quos à testificando in causa parentum arcet lex Regia lib. 3. tit. 56. §. 1. quæ licet non loquatur de patre, loquitur tamen de avo; cumque in principio æquiparasset patrem, & avum, licet postea in dispositione solum de avo loquatur, dispositum in uno casu ex æquiparatis per viam regulæ, censetur dispositum in utroque ex gloss. recepta in l. si quis servo C. defuit. Duoque testes, qui dicunt, quod viderunt matrem subscribere, sunt legatarij in tertia: & per consequens hæredes instituti tacite per d. Ordin. tit. 82. Testesque esse nequeunt per d. l. qui testamento, l. parentes C. de testibus, l. 14. tit. 16. part. 3. Mascard. concl. 1148 & 1357. num. 43. Farin. in praxi part. 2. de opposition. contra test. quæst. 54. num. 145. Morla in empor. 1. part. tit. 11. in prælud. num. 40. Nec obstat uxoris Rei testimonium, dum matris signum agnovit, quia loquitur de suo videri, & cum sit filia, nec pro, nec contra matrem testis esse potest, & illius dictum alterius fide non coadjuvatur, cum reliqui testes sint inhabiles, cum legatarij, & hæredes sint: imò nec sufficeret testibus probari illud signum esse testatoris: qui insuper requirebatur, quod subscriptibens saltem generaliter dixisset, quod illud erat suum testamentum, ut requirit Valasc. d. conf. 67. num. 11. sequitur Clarus d. §. testamentum §. 14. num. 14. Ubi dicit, quod opinio Bartoli, qui requirebat specialem subscriptionem, sequenda erat, nisi quando adessent alia adminicula, & argumenta, quibus deficientibus Bartoli opinionem sequitur. Et in hoc testamento nulla alia indicia, nec argumenta dispositionis sumuntur, nisi ipsa subscriptio: & quamvis plures alij testes deponant illam literam, &

subscriptionem videri esse defunctæ, tamen adhuc debuerat fieri litteræ comparatio, quæ defuit ex Valasc. conf. 67. num. 14. & ex infra dicendis, quod fuerit legatum scriptum à marito sibi, & filijs in potestate, quod ex utroque capite consistere non potest.

**14** In secunda autem quæstione: An Liboniano sit locus in hoc casu, ut legatum relictum sibi, & filijs in potestate scribentis constitutis, non valeat? Et notandum, quod ex verbis testamenti in initio relatis constat tria legata in hac dispositione considerari posse: primum, quod relinquitur filijs de tertia defunctori: secundum, relictum marito, ut ipse frueretur, & tempore mortis suæ divideret: tertium, quod quando non nominasset, nec divisisset, tunc filij æqualiter admitterentur.

Secundo, quod Liboniano caret, ne quis sibi, vel filio, quem habet in potestate, scribat: unde edicto non erit locus, quando filio emancipato scribat, vel adoptato, si per adoptionem exiisset à patria potestate, l. impuberem §. si ei filio ff. de falsis: vel quando in testamento commilitonis scribit legatum filio militi, quia relictum valet, l. si pater ff. de fals. l. 4. C. castr. pecul. Si autem filio capto ab hostibus ex eventu pendet an Liboniano sit locus, quia si ab hostibus redierit, tunc erit locus edicto; si vero apud hostes decesserit, tunc cessat pena, l. si servo 101. §. 1. ff. de leg. l. Farin. de falsit. q. 150. ex n. 291.

Quando tamen in testamento, quo quis sibi, vel filijs in potestate scribit, datur specialis ipsius approbatio, & individua, cessat edictum, generalis tam non sufficit, l. si testator C. de his qui sibi scrib. l. divus §. plane ff. ad l. Cornel. ibi: *Nec generalem subscriptionem valere: nisi sit filius, qui scripsit, l. 1. §. inter filium ff. de fals. quia tunc sufficit subscriptio generalis*, Valasc. conf. 178. num. 12. patet ex d. §. inter filium, ibi: *Dicavi, & recognovi: eleganter Cujat.* lib. 3. sub titulo de his qui sibi scribunt fol. 1314. Clarus §. falsum à n. 27.

15 Ex quibus primum legatum relictum filiis æqualiter de tertia testatoris nullo modo valere potest, quia à patre filiis in sua potestate scriptum, l. i. ff. de his, quæ pro non script. l. si quis legatum §. divus ff. de falsis, l. filius eod. ibi: *Nobis, vel his, quos in potestate habemus*: gloss. in l. impuberem §. sed ei filio ff. de falsis, l. de eo l. si pater eod. Bart. in d.l. de eo, Angel. in d. l. 1. num. 2. Salicet. in l. qui in testamento num. 1. & 2. C. de his qui sibi scrib. Decius cons. 103. num. 1. Farin. de falsit. d. quæst. 150. n. 176. Peregrin. de jur. fisc. lib. 3. tit. 12. à princip.

Obstat tamen, quod hodie stante l. cum oportet C. de bon. quæ liber. videtur legatum hoc validum esse, cum proprietas patri non acquiratur, sed solus ususfructus, quia æquiparatur emancipato filius respectu proprietatis, argum. d. l. si pater d. l. impuberem §. 1. Verum satisfit cum Bart. ibi verbo in adoptionem, quod legatum semper est inutile, quia ex Liboniano præsumitur testamentum falsum l. i. §. filius, & §. sequens ff. de fals. ibi: *Quasi falsum nomen servi subducitur, & perinde habetur, ac si nihil fuisset scriptum*: & probatur apertius in d. §. sequens, ubi servo communi legatum relictum non valet, quia falsitas totum vitiat quoad utrumque dominum, licet, quod quis sibi, & Titio scribit, valere possit pro parte Titij, in quo non dabatur eadem ratio, respectu enim illius cessabat præsumptio falsitatis.

16 Vel dici potest, quod vel legatum sumit initium in persona unius, vel in personis plurium: primo casu quando scribitur servo communī, in eius persona legatum consistit, cuius nomen si detrahitur à testamento quasi falso suppositum, neutri deberi potest, nec acquiratur, l. qui liberis §. hæc verba ff. de vulgar. l. debitor 82. §. servo alieno, vers. cæterum ff. de legat. 2. Atque ideo legatum sit inutile in totum. Quando vero sumit initium in personis plurium, veluti quando mihi, & Titio relinqu-

tur, tunc licet scribentis nomen detrahatur, non tamen detrahitur socij collegati, qui totum consequitur, dimidium jure proprio, & alteram partem jure accrescendi: & sic illa jura possunt conciliari, prout docuit Bart. & Accursius in d. §. i. l. impuberem. Unde cum illud legatum in personis filiorum sumperit initium, omnino est inutile, quia in hoc Regno tenemur sequi Bart. & Accursium, Ordin. lib. 3. tit. 64. in princip. Maius esset dubium si patri non quæreretur ususfructus, veluti quia ea conditione esset relictum: & tunc non esse locum Liboniano dixit idem Bartol. in d. §. i. ibi: *Fateor tamen, quod si patri non acquiratur ususfructus, tunc excusat pater, quia esset eadem ratio in emancipatio*: sed adhuc eo casu quæri quamdam commoditatē dixit Ias. in l. filius fam. ff. de legat. l. n. 157. quæ legatum vitiat.

17 In secundo autem legato relichto marito, ut ipse fruatur, & tempore mortis dividat inter liberos pariter, resolvendum est non valuisse, cum deficiat specialis approbatio, ut Liboniano non sit locus, nec ipse sibi posset scribere. Insuper, quia legatum relictum à marito uxori, vel è converso, indigent omni solemnitate, quia sunt extranei inter se, licet quoad liberos non sit necessaria, Auth. de testam. imperfect. vers. si vero col. 8. Auth. quod sine C. de testam. & d. l. fin. C. famil. hercif. d. §. ex imperfecto in fin. eodemq; pede claudicat ultimum legatum, ut quando parter non dividat fructus, omnes pariter filij admittantur. Et licet videretur, quod hoc legatum valere posset, cum conferatur in tempus solutæ patris potestatis, & quia initium sumperat in diversis personis, scilicet in patre, & filijs, & succedat reg. d. §. sequens, quod quando in persona unius non valet, possit valere in persona sequentis; tamen in nostro casu vacillat fides testamenti ex non probata subscriptione speciali, quæ requirebatur: atque hoc dato totum corpus ipsius suspectum redditur, & quod

quoad singulas partes inutile fit: atque ideo in neutro dispositionem probādam Senatus censuit. Scriba Garces. Revisio tamen petita fuit, & adhuc sub judicibus lis est.

Alter contigit casus proximo similiis inter Mariam de Sousa, & dominum Christophorum de Noronha. Casus sic accidit. Christophorus cum prima uxore testamentum condidit in scriptis, in quo se ad invicem hæredes instituerunt, & nominationes emphyteuticas sibi maritus adscripsit, mortua uxore hæres ipsius dicta Maria nullitatem testamenti, & nominationum arguebat, eo quod deficiebat specialis relictorum approbatio. Verba testatricis in approbatione posita sic se habebant: *Feita por elles, & escrita por elle Senhor Dom Christovão, & assinada por ambos, a qual aprovaõ, & ratificaõ tudo o conteudo nella: & ella Senhora Dona Guimar disse que ella o lera, & vira, & por isso assinara nelle, & que tudo o conteudo nelle quer que se cumpra, &c.* Pro Reo sententia lata fuit à Præside Curiali Ludovico d'Araujo Jurisconsultissimo: quæ confirmata fuit in Senatu per eximicos Senatores Didacum de Britto, & Michaelem de Barreira, reluctante Nonio d'Affonsena Cabral, qui testamentum dicebat nullum, quod Liboniano esset locus in testamento conjugum ex notatis à Valasc. conf. 7. num. 6. & 177. num. 2. facit text. in l. quæ in testamento C. de his, qui sibi adscrib. Valasc. ubi supra num. 4. Gama decis. 231. num. 4. Petrus Barbosa in privatis scholijs ad l. patris, & filij scholio 2. de vulgar. ex sententia Celsi conf. 14. Maxime, quia non repetitur specialis subscriptio, prout requireretur, quando scriptura à jure est prohibita, post Felin. in cap. quoniam contra de probation. num. 48. Mascard. conclus. 1348. num. 13. Soares in l. post rem ampl. 2. num. 7. Alex. vol. 2. conf. 147. num. 6. quia licet paria sint scribere, & subscribere, l. si ergo §. dotis ff. de jur. dot. l. si ita §. Chrysogonus ff. de verbis. ubi Bart. Bursatus conf. 39.

num. 24. Ordin. lib. 4. tit. 80. §. 1. & lib. 3. tit. 25. §. 9. & lib. 4. tit. 80. §. 1. in fine. Tamen hoc non habet locum, quando scriptura est prohibita, ut dictum est: nec ex approbationis instrumento hoc vitium suppletur, quia hoc concernit solemnitatem, non substantiam, Gama ubi supra num. 5. & decis. 157. Vala sc. d. conf. 177. num. 10. Ex his itaque annullabat. Et insuper quia in eo non reperiebantur testes omni exceptione maiores, cum alter esset affinis, duo essent famuli Rei, ex his quæ Farin. 2. tom. de opposit. contra test. quæst. 54. num. 1. & quæst. 55. ex num. 1. Valasc. conf. 45. nam licet jure communi inspecto testamentum valeat, et si aliquæ testes non sint omni exceptione maiores, ut post alios Viglius in §. sed neque Instit. de testam. Conan. lib. 9. cap. 3. num. 5. Valasc. conf. 117. num. 13. Tamen, quando coarctatur à lege numerus ordinarius in actu, debent esse testes omni exceptione maiores, ut cum Decio, & Tellio in l. 3. Taur. 2. part. num. 13. Valasc. ubi supra num. 16. Cabed. decis. 69. num. fin. Et ultimo annullabat, quia cum duplex sit testamentum viri, & uxorius, duplex debet esse interrogatio notarij, ut per Valasc. d. cōf. 7. num. 4. quia cum solemnitas sit formalis, si deficiat actus, corruit, Valasc. 2. tom. conf. 149. alter Valasc. allegat. 61. num. 29.

Cum revisio peteretur à sententia Senatus post elegantissimas deliberationes, alteram doctissimi D. Thomæ Pinheiro da Veiga, quem Papiniano æqualem ingenio judico: tertio loco dixi revisionem non concedendam ex sequentibus.

18 Quod Senatusconsulto, & edito Divi Claudi proibitum est eos, qui ad scribenda testamenta adhibentur, quamvis dictante testatore, aliquod emolumen sibi futurum scribere: primum Senatusconsultum Tiberio, secundum divo Claudio tribuitur: & ideo Claudianum dicitur: licet falso Neroni hoc ultimum accommodet Suetonius

tonius in Nerone cap. 17.

Unde fit, quod tibi invito, vel ignorantre testatore testamentarius sibi adscribit hæreditatem, vel legatum, directo locus est legi Corneliae, non vero Liboniano, l. adimenda, ff. de fals. si autem adscribat jubente testatore, non falsum, sed quasi committitur, & hoc ex Liboniano redigitur ad pænam falsi, & scriptum pro non scripto habetur, l. 2. §. 1. C. de his qui sibi fiscus tamen Liboniano non vocatur, Cujat. in tit. C. de his qui sibi tom. 3. fol. mihi 1314.

19 Cessat Libonianum, si ea pars, quæ testamentario relicta est, manu testatoris sit exarata, l. 2. in princ. C. de his qui sibi; non enim inconvenit, ut una pars manu Titij, altera Sempronij scripta reperiatur l. Claudius §. ultim. ff. de fals. Secundus, si testator testamento subscriptis cum ea differentia, quod si filius, vel servus in testamento sibi adscripsit, subscriptio generalis sufficiat; si vero sit extraneus, requiratur specialis, l. 1. §. inter filium, ff. de falsis, l. divus eod. Quæ autem sit specialis, vel generalis subscriptio, non satis constat: Accurs. in d. §. inter filium, verbo subscriptio, eam dicit specialem, in qua exprimitur persona legatarij, licet res relicta non nominetur, ex Bart. ibi n. 1. citans gloss. in l. 2. C. de his qui sibi, ubi Salicet. num. 2. Angel. in l. 1. num. 1. C. eod. Ripa in l. 1. num. 67. ff. de vulgari. Et verius videtur ex sententia Cujatij, ut generalis sit approbatio, si veluti dicat, hoc testamentum dictavi; specialis vero, quæ illi dictavi, & recognovi, d. §. inter filium, Farin. quæst. 150. num. 205. prosequitur Odofred. in d. l. 1. in fin. C. de his qui sibi, Azor in summa illius tit. n. 6. Franciscus Bossius cōf. 103. in l. dub.

Tertius casus est, si is, qui sibi adscripsit, et filius emancipatus, nam si volente patre se hæredem ex asse scripsit, quia is solus est venturus ad hæreditatem ab intestato, frustra ea institutio pro non scripta haberetur, cum ab intestato tota hæreditas sit redditura ad

filium, tanquam honorarium successorem patris per bonorum possessum unde liberi, l. filius §. maritus, ff. de fals. Quod secus est, si filio emancipato datum est cohæres, quia defertur hæreditas ad cohæredem per jus accrescendi, & fit locus Liboniano, Julius Pasius in illo tit. C. de his qui sibi, Cujat. ubi supra. Quartus casus est, si impubes sibi adscribat, quia dolus malus in eam ætam non cadit, l. impuberem ff. de fals. Quintus in nuncupativo testamento coram testibus lecto, per Valasc. conf 177. num. 13. ex Angel. Salicet. Alex & alijs.

20 Omitto alios casus, in quibus pæna remittitur, licet relictum non capiatur, ut in errante, in milite, in muliere, in servo, in filio in potestate, l. 3. l. 5: l. divus §. matri, l. si pater §. 1. l. filius 14 ff. de falsis, quibus accedit maritus l. quæ testamento C. de his qui sibi, si in testamento uxoris sibi adscribit.

His principijs inferendo ad nostrum casum, videtur illum nec Claudio, nec Liboniano includi, quia illa Senatus consulta obtinent in illis, qui in testamento alieno adhibentur, & sibi adscribunt, l. Senatus C. de his qui sibi, ibi: *Adscribenda testamenta adhibentur.*

21 Cum ergo maritus, qui in eadem charta cum uxore testatur, non alienum, sed proprium testamentum scribat, non ab uxore adhibetur ad scriendum, sed suam causam agens, negotium sibi, & uxori commune gerit: nec inconvenit, ut partim quis propriam, partim alienam causam faciat diversis respectibus, ut in tutole sibi solvente, l. quoties §. sicut, & §. non autem ff. de administr. tutor. ibi: *Nam & sibi solvere potest:* & in d. §. non autem, ibi: *Verum etiam sibi creditam pecuniam scribere potest:* explicat eleganter D. pater meus verbo contractum fecisti C. de in integr. num. 25. & in eadem persona posse considerari diversos respectus prosequitur Cabed. decis. 112. 2. part. num. 6. & arest. 46. Gama decis. 230. & 353. Barbosa in l. quia tale num. 96. ff. solut. matrim.

matrim.

Quare cum maritus non ad scribendum adhibitus ab uxore sit, sed mutua affectione uterque disposuerit, se ad invicem instituendo, ut de jure licet pacisci, l. licet C. de pact. cuius dispositio in conjugibus recepta est, ut per Ias. in illo text. num. 3. Alciat. 4. idem Alciat. lib. 2. parerg. cap. 31. Gama decis. 231. ad fin. Conanus lib. 10. Iuris Civil. cap. 6. num. 6. Dueñ. reg. 172. Pechius de testam. conjug. cap. 43. licet Sarmiento selectar. cap. 4. num. 3. eam institutionem captatoriam appellat, & novissime Faber de erroribus pragmatic. decad. 82. errore 4.

Inde fit, quod quando maritus uxori donat omnia bona sua, eamque post se relinquit hæredem, non debet prohiberi, ut donationem sibi scribat cessante suspicione fraudis in eo, qui sua donat: non enim aucupandæ hæreditatis alienæ causa donatum videtur, quando maritus uxorem hæredem instituit: nec dicitur mittere in hamos, ut dixit Martialis: sicut alias inter eos prohibita simplici donatione, non prohibetur reciproca, l. quod autem §. 1. vers. si vir ff. de donation. inter vir. faciūt quæ Cujat. lib. 9. observat. cap. 30. Tiraquel. in l. si unquam, verbo donatione num. 108. Valasc. conf. 177. num. 14.

22 Obstat tamen adhuc, quod maritus respectu uxoris testantis reputatur persona extranea: atque ita respectu ipsius debet in eo actu intervenire omnis solemnitas à lege requisita, Auth. de testam. imperfect. collat. 8. vers. nos igitur, ibi: *Si tamen aut uxori, aut extraneis personis, &c.* & eodem modo procedit text. in Auth. hæc consultissima §. ex imperfecto C. de testam. in fine. Ubi respectu extranei omnis solemnitas actus desideratur. Unde fit consequēs, quod ubi extraneus sibi adscribit, necessaria est specialis subscriptio, ut relictum capi possit. Quare sic recipiendum est respectu mariti, nisi specialis approbatio detur, quæ solemnitas est necessaria ad actus validitatem: ut supra

dixi.

23 Quia respondeatur, quod in omnibus Libonianī regulis supra positis nulla reperitur, quæ de communi testamento viri, & uxoris loquatur, nec aliud probat l. quæ in testamento C. de his qui sibi, quia loquitur in marito adhibito ad scribendum testamentum non suum, ut per Bald. & Salicet. in d. l. 1. Magon. decis. Florent. 53. num. 1. Farin. de falsitat. quæst. 150. num. 178. Menoch. lib. 3. præsumpt. 66. à num. 10. Gama decis. 231. num. 1. idem ad 5b.

Quare hic casus debet censeri mixtus, in quo datur concursus testamenti alieni, & proprij: seu duo testamenta sunt eodem contextu, ut per Gamam ubi supra in fin. Gutierr. conf. 3. num. 6. & succedit juris regula, quod in materia favorabili sub simplici continetur casus mixtus, Bart. in l. Gallus §. & quid sit tantum ff. de liber. & postibum. num. 3. Sicque conciliatur text. in livim passim. ff. ad l. Iul. ff. de adulter. cum lege si ita ff. illo tit. Tiraquel. ad leges conubial. gloss. 5. num. 71. Sanches lib. 2. disput. 2. num. 27. Non vero in odiosis.

24 Nec obstat, quod etiam in odiosis sit extensio ad casum mixtum, ex his quæ Surd. conf. 33. num. 29. quia illud procedit in casibus æquiparatis per viam regulæ, de quibus Ordin. lib. 4. tit. 87. §. 2. & lib. 2. tit. 13. dum extenditur ad casum citationis in dispositione non expresso: in quibus eadem, vel maior datur ratio, vel dici potest, quod quando in odiosis sit extensio, est ad casum, non vero ad pñnam, late Barbosa in l. si constante à num. 92. 99. & 105. Tiraquel. in l. si unquam in præsentatione num. 119.

Nec obstabit, si quis replicet, hunc casum comprehendi sub prohibitione Libonianī ex vi comprehensionis, ut per D. patrem meum de nomin. quæst. 13. num. 17. quia satisfit non posse comprehendendi, quando in eo sic considerato datur diversa ratio à casu simplici, quia cessat in eo omnis fraudis præsumptio,

quia

quia in reciproca institutione certum est utrumque se hæredem facere, non simpliciter, ut statim capiat, sed sub ea conditione, si supervivat. Nec maritus ex eo, quod junior est uxore, potest sibi crastinum polliceri: & succedunt, quæ in emancipato, qui sibi scribit, à cuius scriptura Libonianus consideratio removetur; quia nullus alias hæres futurus est: maxime si consideremus, quod sicut Libonianum cessat, ubi quis sua manu portionem scribit testamentario, ut supra dixi: sic pariter cessare debet, ubi maritus distante uxore testamentum commune scribit; quia cum uterque scribere non possit, ex sola subscriptione censetur omnia scripsisse, quæ in testamento continentur, ac si propria manu id fecisset, ex doctrina Bart. in l. si testamentum ff. de testam. & in l. Caius ff. de pignorat. actione, & in l. sicut §. non videtur ff. quib. mod. pign. idem Bart. in l. quæ dotis numer. 26. & 27. ff. solut. matrim. eleganter Bursatus conf. 39. numer. 24. late Menoch. d. præsumpt. 66. num. 10. Sicut alias videamus in chirographo viri, & uxorius, vel in mandato ad judicia. Quod ex Ordin. lib. 3. tit. 59. §. 15. manu propria fieri debet, & tamen sufficit, ut maritus scribat, & uxor subscribat, quia cum ab utroque scribi non possit eodem actu, & iectu, sufficit, ut ab altero scriptum alter subscribat: sicut etiam solemnitas traditionis testamenti approbandi, quæ secundum Ordinationem fieri debet de manu testatoris ad manum notarij, lib. 4. tit. 80. §. 1. cum speciali interrogatione, & traditione, sufficit, si uterque interrogetur insimul, & unus tradat nomine utriusque, Valasc. conf. 7. num. 4. quia scilicet in actu mixto sola illa solemnitas attenditur, quæ in simplici observatur, etiam quando illa formalis est, qualis est illa, quæ in testamentorum ordinatione præcipitur, Valasc. conf. 149. Vas allegat. 6. n. 29. Quare hoc testamentum debet censeri manu propria uxorius scriptum & sic in eo non habet locum Libonianum, ut supra dixi ex l. 2. C. de his

quæ sibi, & in processu alter appendebatur, in quo in Senatu obtinuit Libonianus non esse locum in testamento conjugum: sicque fuerat judicatum.

25 Sed esto, agnoscamus in hoc testamento teatricis requiri speciale subscriptionem, quia scriptura illa est à jure reprobata, ut considerat Sfortia conf. 100. num. 8. ubi citat Paulam conf. 209. Mascard. 1347. Soares in l. post rem ampliat. 2. n. 6. & 7. Adhuc puto nostrū esse extra Libonianus prohibitionem, ad quod moveor dupli ratione: prima est, quod hoc testamentum clausum dicitur factū in scriptis, Ordin. lib. 4. tit. 80. §. 1. quia etiamsi fiat per tabellionem, vel scribatur ab altero coram testibus, adhuc est nuncupativū §. per nuncupationem, l. hac consultissima C. de testam. Et in hunc sensum est accipienda dicta Ordinatio cū suis §§. ut in illis de nuncupativo loquatur, excepto d. §. 1. ubi de testamento in scriptis, glossatores in l. Taur. 3. Covar. in cap. cum esses de testam. Valasc. conf. 177. n. 6. Cujus testamenti inscriptione formæ repugnat, ut testator declareret voluntatem suam, si namque illam aperiat coram testibus, definet esse secretum, & fiet nuncupativum. Quare non est dicendum testatorem debere suam dispositionē destruere, & secretum suæ, & alienæ voluntatis revelare coram testibus. Unde quia natura actus non patitur magis speciale subscriptionem, dicendum est in testamento in scriptis clauso in forma juris communis illam generalem subscriptionem haberi pro speciali, ut actus confirmetur: in simili Bart. in d. l. 1. ff. de falsis. Ubi generalem subscriptionem ad speciale trahi posse afferit, quando ad unum solum casum referri potest, quia ubi unica ratio solum reddi potest, illa habetur pro expressa. Jaf. in §. omnium Instit. de action. n. 38. Nec obstat, si quis replicet de jure communi etiam esse testamenta in scriptis, quæ fiebant in secreto, & tamē in his Libonianus locus erat. Quia respondetur, quod post clausum in secreto testamentum sufficiebat, ut testes

O adhibe.

adhiberentur septem masculi liberi, & pro talibus reputari, puberes, & rogati, coram quibus testator suum id esse testamentum manifestabat, ipseque subscribat, si sciens, & potens, si minus alius testis, & omnes signabant, l. hac consultissima C. de testam. §. sed cum paulatim Instit. de testam. At vero de jure Regio maior solemnitas addita fuit, nempe ut sit necessaria tabellionis praesentia, qui de manu testantis testamentum accipiat, eo interrogato an sit suum, cum alijs superstitionis interrogationibus, de quibus in d. §. 1. Quæ omnia ex eo videntur addita, quia de jure Regio sublata videtur illa scrupulosa subscriptionis specialis, & generalis differentia; quia lex voluerit illum subscribendi modum in omni testamento esse sufficientem, alias namque lex expressisset in his, qui testamenta aliena scribebant, speciale subscriptionem esse necessariam. Cum igitur testandi forma inter virum, & uxorem in eadem charta recepta sit, ex Oldrad. conf. 174. DD. in d.l. licet C. de pact. Bald. in l. humanitatis n. 37. C. de impuber. Gama d. decis. 231. & 234. & 258. Pariter dicendum est illam subscriptionem etiam sufficere in testamento conjugum clauso, quia in eo actu illa est specialis approbatio à lege inducta, quæ juris communis solemnitates superat.

26 Quod si adhuc quis dicat non immutari, nec corrigi à lege Regia ius commune, & in suo robore mansisse subscriptionis specialis formam, quando præcedit scriptura à jure reprobata: in nostro casu puto dari specialem gestorum approbationem, si recurramus ad regulas, quas in principio consulto posuimus, ubi ex mente Cujatij diximus eam specialem esse, scilicet, quæ illi dictavi, & recognovi deductā ex d. §. inter filium, & patet testatrixē in præsenti non solū generaliter approbassem testamētū, & quod adimpleretur per verba, quæ generalem approbationem sapiunt, insimul cum marito, ibi: *Aprovaō, & ratificāō o conteudo nelle:* sed sola uxor ul-

terius progressa dixit: *Que olera, & uira, & por isso assinara nelle, & que tudo o conteudo nelle quer que se compra.* Quæ verba cum sint prolatæ à sola uxore ultra generalem formam, aliquid debent habere specialitatis, ne videantur pronuntiata otiose: & satis ostendunt notitiam habuisse juris, & scivisse, quod in hoc testamento, in quo maritus sibi scripserat, maior requirebatur approbatio, & ideo ultra maritum sola processit duplicata verba faciens, ut specialiter actum approbare, cuius ipsa ignara non videtur, cum profiteretur se omnia vidisse, & legisse. Ex quibus duobus resultat vera, & specifica recognitio; recognoscendi enim nihil aliud datur, quam inspectio chirographi, ut legi possit, ut fiat recognitio in specifica forma, Ordin. lib. 3. tit. 25. §. 9. Cum ergo intuenti, & legenti non fiat fraus, cum detur certa scientia cum plena notitia rei specialis, resultat approbatio ex reg. cap. 1. de confirm. utili, Molin. de primogen. lib. 2. cap. 7. num. 9. Mafcard. conclus. 288. num. 7. Tuschus lit. C. conclus. 382. Sicut alias in clausulis derogatorijs, ubi requiritur specialis derogatio, sufficit, ut testator intelligat, & sciat, ut videatur specialiter derogasse, Mantica lib. 12. tit. 8. num. 12. Menoch. lib. 4. præsumpt. 166. num. 57. Atque ita judicavimus revisione denegata.

27 In alio processu dubitatum fuit: An Liboniano sit locus, quando nūcupativum testamentum condidere maritus, & uxor una charta, quod testibus lectum extitit ab ipsomet marito, qui sibi scripserat institutionem? Et quidem licet falsi pæna cesset in testamento nūcupativo, quod publicari debet, quia à publicatione vires accipit, tanquam privata scriptura, Fulgos. in l. publicati num. 2. C. de testam. Valasc. d. conf. 177. num. 14. Tamen testibus legendum videbatur à notario, non vero ab ipso scribente, quia non cessat falsitatis præsumptio, cum & ipse in legendō falsum dicere possit: sentit Valasc. ubi supra numer. 10. Ubi legendum dicit

dicit ab ipso notario. Sicque Senatui placuit in processu Francisci Fernandez contra Ludovicum Lopez: Scriba Antonio de Carvalho.

An autem sit Liboniano locus in monacho suo monasterio adscribente, ex reg. l. de eo ff. de falsis, cum servus, & monachus æquiparentur? Et placuit non esse, quia non æquiparentur per

viam regulæ, sed in aliquibus in specie Tiraquell. de privil. piæ caus. privil. 93. Farinac. 2. tom. de opposit. contra testes quæst. 60. num. 467. licet contra pugnet Cabed. divers. cap. 11. num. 1. in processu Fratrum Sancti Dominici contra Ioannam de Lemos Elvensem: Scriba Dominico de Basto.

## SUMMARI A.

1 **D**ominus molendini superioris potest parietem in inferiori erectum destruere.

Domino fundi superioris licet ageres munire in fundo inferiori. ibi.

In his, quæ immittuntur in alienum opere artificiali, potest fieri destrucción propria authoritate. ibi.

2 Ædificatum in meo solo possum destruere propria authoritate.

Aliter est in re, quæ mihi tantum debet servitutem. ibi.

Interpretata l. si eo loco ff. si ser-

vit. vendic. ibi.

3 Quando quis ædificat in solo meo, cedi solo ædificium.

Secus autem in fando, in quo mihi tantum debetur servitus. ibi.

Sic pariter destruere potest, qui tamen habet utile dominium. ibi.

4 Privilegium destruendi soli possessori conceditur.

Si res sit communis, potest etiam socius destruere. ibi.

5 Quando aqua restagnat, vel retrocedit, & usus rotarum impeditur, competit interdictum uti possideatis.

## DECISIO XXXIII.

An dominus molendini superioris possit parietem destruere, qui ab inferiori domino in flumine construitur, quando aqua restagnante sui molendini superioris usus impeditur?

**A**bebat Rochus Antunes oppidi de Barquerena molendina superiora, & alia inferiora molendina possidebat Sebastianus Alfonsus. Cumque inter eos olim lis moveretur super modo, & usu aquæ

fluminis, quæ ad utrumque molendinum dirivabatur, signum in quodam lapide erat appositum, ad cuius altitudinem aqua reprimi poterat judiciali authoritate, & insuper ea conditione adjecta, quod quando contineret aquam restagnare, posset superiorum molendinorum dominus age-

Oz res

res lapidum, & opus vulgo A<sup>c</sup>ude, destruere, quo usque fluminis alueus debito cursu sine l<sup>e</sup>SIONE partium aquas impelleret. Contigit, quod hiberno tempore agmina aquarum, quae ex montibus unde quaque defluunt, nimborum, & tempestatum vi agitata signum in l<sup>a</sup>pide appositum suffocarunt: superior dominus manus admovit, parietis partem destruxit propria authoritate juxta formam contractus: inferior restitit, impedivitque operis demolitionem: tunc superior actionem proposuit petens, ut cogeretur demolitionem pati, quo usq; signum aperiretur.

1 In qua questione quia est valde quotidiana, & in ea vidi aliquando peritissimos h<sup>e</sup>sitar<sup>e</sup>, illud discutiendum proponitur: An possit dominus molendinorum superiorum propria authoritate parietem in flumine publico ab inferiori extructum destruere, quando suorum molendinorum usus impeditur? Et videtur sine dubio esse, quod possit, quia impeditur liber aquae usus I. ut vim ff. devi ibi: *Per quod liberam possessionem adversario non reliquit.* Deinde facit I. I. §. ultim. ff. aq. pluvia arcend. quae permittit domino fundi superioris ageres munire in fundo inferiori, & rivos purgare, ne sibi noceat restagnatio: facit I. quemadmodū §. I. ff. ad I. Aquil. ibi: *Suo jure posse eum intercidere,* &c. I. 2. §. idem Labeo ff. ne quid in loco publ. I. I. §. quod autem ff. ne quid in flum. Bald. cōs. 273. lib. 3. I. si autem §. si ad januam ff. quod vi aut clam: facit I. sicuti §. Aristo ff. si servit. vindic. ibi: *In suo enim alij ha<sup>c</sup>tenu<sup>s</sup> facere licet, quatenus nihil in alienum immittat, sumi enim sicut & aquae esse immissionem:* facit I. 18. tit. 32. part. 3. Bart. in I. quo minus ff. de fluminib. num. 8. & ibi Ripa num. 45. Gomes in I. 46. Taur. num. 19. I. quamvis ff. de acquir. rerum domin. ibi: *Manu:* ubi propria manu videtur opus posse destruiri Alex. in I. I. §. nuntiatio ff. novi oper. n. 9. ubi Bart. num. 4. quem sic declarat Zazius ibi num. 4. Alciat. 3. Ruyn. 6. & 27. eleganter Marcus decisi. 489. num.

16. Gomes d. n. 19. Cepola de servit. urban. cap. 31. num. 2. Qui distingunt inter ea, quae in alienum immittuntur opere artificiali, dum aqua, vel quid simile immittitur, in quo destructionem admittunt propria authoritate; secus autem si opere naturali, l. i. C. de interdictis. Ubi radices immissas ex arbore, quae est mea, in fundo tuo, incidere non potes, nisi judicis authoritate; textus enim in d. l. quemadmodum loquitur de immissis opere artificiali: nec videtur admittenda distinctio, quando restagnat in publico, vel privato, quia eadem est ratio, Ripa ubi supra num. 44. pro quo est text. in l. I. §. idem aiunt, & §. Neratius ff. aqua pluvia, quia laeditur servitus naturalis l. I. §. ult. ff. aqua pluvia, Ruynus cons. 96. numer. 4. & 6. lib. 4.

2 Verum pro perfectiori cognitione advertendum est, quod licet aedificatum in meo solo possum destruere propria authoritate, d. l. quemadmodum 29. §. 1. ff. ad legē Aquil. d. l. fin. §. si adjanuam, & ibi gloss. verbo aut certe gloss. in fin. I. I. C. ut nemini liceat: adeo ut liceat implorare officium judicis, ut illud factum meum defendat I. si servus 6. & ibi notant Bald. & Salycet C. quod cum eo, ibi: *Et ingrediens rem tuam contra vim ejus auctoritate competentis judicis prorogeris,* &c. I. si super possessione, & ibi Jaf. num. 5. C. de transactio. Tamen longe aliter est, si aedificium construitur in re, quae mihi tantum debet servitutem; tum enim non possum propria authoritate aedificatum demoliri, sed petius de beo confessoria experiri, I. si eo loco ff. si servit. vindic. ibi: *Si eo loco, per quem mihi iter debetur, tu aedificaveris, possum intendere jus mihi esse ire agere:* commendat Florian. in I. I. §. 1. num. 6. ff. de servit. urbanor. Cepola I. part. cap. 30. n. 10. Alex. in I. I. §. nuntiatio num. 3. ff. de novi oper. nuntiat. colligit Innoc. in cap. 1. de immunit. eccliar. ad fin. Objici tamen potest, quod licet d. l. si eo loco Paulus decrevit, agendum confessoria, non tamen exclusit illud reme;

remedium facti, quod licet extraordinarium sit, cum ordinario concurrit, gloss. in l. de pupillo §. meminisse verbo uti. 2. & ibi Paulus num. 8. ff. de novi oper.

3 Quare ratio differentiae ea videtur esse, quod quando quis ædificat in solo meo, cedit solo ædificium, §. cum in suo Instit. de rer. divis. & eo casu non destruo alienum, sed proprium, & ideo cessat injuria, ita Innocent. in d. cap. 1. Cepol. ubi supra num. 9. Decius conf. 22. num. 5. Corrus in l. 1. num. 62. ff. servit. Quæ ratio cessat in eo, cui servitus debetur, cum fundus, in quo consistit servitus, non sit proprius, l. loci corpus 4. in princ. ff. si servit. vendic. l. si duo 30. ff. de reg. jur. l. extat 13. ff. quod metus caus. Unde qui solum utile dominium habet, etiam destruere poterit, quia & ipse nanciscitur utile dominium illius ædificij in suo solo ædificati, Bart. recepus in d. §. nuntiatione num. 9.

4 Supradicta tamen ita accipi oportet, quod non sufficiat, ut ædificium construatur in meo fundo, nisi & ego possideam locum, in quo ædificatum est, quia illud privilegium destruendi soli possessori conceditur, Bald. num. 2. & Florian. 3. in d. l. quemadmodum §. 1. Decius conf. 221. num. 5. Gomes d. l. 46. Tauri num. 19. Ias. in l. clam possidere §. qui ad nundinas ff. acq. poss. num. 24. Sufficit tamen, quod res communis sit, ut ædificatum ab extraneo destruere possim, ex Cepola ubi supra d. cap. 30. num. 9. ad fin. Si autem ædificetur à socio, qui partem habet indivisam, Bart. in d. §. nuntiatione num. 5. non

posse destrui sentit, & ibi Paulus, & Alex. num. 9. Decius d. conf. 221. num. 6. per text. in l. sed si inter 26. in prine. ff. de servit. rusticor. l. 3. vers. plane ff. de novi oper. facit l. Sabinus 28. in fin. ff. commun. divid. & l. in re communi 25. ff. servit. rustic. ibi: *Nec quicquam facere in re communi, neque prohibere, &c.*

5 Quibus principijs præsens quaestio enodatur, ut non liceat domino superioris molendini opus in flumine constructo propria authoritate destruere, cum inferior in suo, vel in publico ædificet, vel in ripa, vel alio loco sibi utili, licet exinde sequatur damnum superiori domino, aquaque refluat, & immittatur in alienum, & rotas impedit, ne suum peragant officium: quia hoc casu sola turbatio in possessione sua consideratur, pro qua interdicto uti possidetis agi oportet: late Menoch. 3. remed. retinend. Conan. lib. 3. commentar. Iur. cap. 8 num. 2. gloss. l. in l. 1. §. ultim. verbo possidet ff. uti possid. & ibi Bart. num. 2. & in §. hoc interdictum num. 8. Bald. in l. 1. num. 8. vers. circa exemplum C. eod. Alex. conf. 80. num. 7. lib. 2.

Unde in præsenti sapientissimi collegæ D. Didacus de Britto, & D. Ferdinandus Cabral, & ego destructionem operis, & demolitionem posse fieri iudicavimus, quia ex contractu inter hæc partes inito licebat superiori domino proprijs manibus lapides verttere, quo usque appositum signum appareret: quod secus semoto contractu per jura supradicta, Scriba Machado.



## SUMMARIA.



**P**æ clausulæ animos judicū offendunt. Hæ clausulæ, n̄iſi à partibus præcipiantur, apponi censentur errāte tabellionis calamo scriptæ ibi.

**2** Clausula depositaria non habet locum in execuzione.

**3** Non habet etiam locum in contraria nullo.

Quando contractus arguitur de usurario, vel de enormissima læsione, non excusatur pars à deposito. ibi.

**4** In contractu usurario potest pars petere, ut in continent admittatur ad probandum usuram.

**5** Durante exceptione incompetencia non habet locum clausula.

## DECISIO XXXIV.

**De clausulis depositaria denegandæ audientia, & persona citationi supposita, & earum observantia. Ad Ordin.lib.4.tit.72.**



Gebatur in processu Baltazaris Taveyra contra Martinum Vaz, & Antonium Vaz Tagarro de observantia contractus, in quo expressum erat, ut nomine Reorum posset citari tabellio, adjecta alia clausula denegandæ audientiæ: cumque in persona supposita citationi fuisset execta, & sententia lata contra Reos, in qua 200. nummi pro salario exequenti, & litem agenti assignabantur juxta verba conventionis: Rei obtulerūt impedimenta objicientes citationis defe-

**6** Pendente conditione contractus potest pars admitti sine deposito contra contractum.

**7** Solutum virtute clausulæ potest per conditionem repeti.

**8** Depositī pæna non excedit quantitatē receptam.

**9** Clausula citandi suppositam personam est contra jus.

Qui se citari patitur sub nomine alicujus officialis, realiter remittit citationem. ibi.

**10** Procurator eo casu adstringitur mandato constituentis, cum ipse nō acceptaverit.

**11** An procurator constitutus in eodem loco, in quo Reus est, extendens sit, vel ipse dominus?

ibidem bulli sive, si non possit, in eisdem locis concorditer. ibidem.

ibidem. De multis quod nullum est, ibidem.

ibidem. Etum, & quod tempore quo execta fuit in persona citationi supposita, ipsi extendebant in urbe, & quod personaliter citari potuerant, quod fraude omissum fuisse, ut adimeretur defensionis copia.

**1** Animos judicū hæ clausulæ exasperant, partiumque jura non mediocriter laedunt, & bene cum nostra Repub. ageretur, si omnino earum usus exularet a tribunalibus: nam licet attentio jure hæ, & similes partium conventiones admitti valeant, quando nihil turpe continent, & jure contrarium, l. i. §. si conveniat ff. depositi l. juris genuum

tium §. prætor ait ff. de pact. Barbosa in l. alia §. eleganter num. 47. ff. solut. matrim. Valasc. cons. 85. num. 7. & 173. num. 17. Cabed. decis. 37. Gama decis. 369. Pinel. in l. 2. C. de rescind. cap. 2. n. 26. D. pater meus Franciscus Caldas Pereira ad l. si curatorem, verbo vel adversarij dolo, n. 22. Adeo ut valeat clausula, quod debitor non audiatur cum impedimentis, nisi incarceratus, ut prosequitur Faber in §. fin. Instit. de jure personar. sequitur Guido decis. 211. num. 2. & decis. 61. Ordin. lib. 4. tit. 76. §. 2. Valasc. cons. 173. n. 26. Tamen nihil excoxitari potest, quod maioribus fraudibus viam aperiat, quam clausula denegandæ audientiæ, vel citationis faciendæ in persona supposita: Et ideo utramque esse limitandam, & restringendam existimo, ne defensionis jus partibus afferatur, Gama decis. 369. num. 1. & ideo sequentes declarationes annexendæ sunt.

Hæc depositi faciendi clausula, de qua in l. 1. §. si conveniat ff. de posit. convertitur cum clausula denegandæ audientiæ, quia utraque ad eundem effectum ordinatur, ne Reus audiri valeat, quin prius deponat quantitatem conventionem: quæ primo limitari debet, ut nullius roboris sit, nisi in instrumento exprimatur, quod apposita fuerit partibus potentibus, & de eo constat, alias enim maneat sine effectu, quasi magis apposita currente calamo, quam de partium consensu videatur: explicat Pinel. in d. l. 2. part. 2. cap. 3. num. 10. Valasc. de jur. emphyt. quæst. 25. num. 19. vers. secus, Parif. cons. 26. num. 187. Quesada in quæstion. quæst. 20. numer. 5. Cabed. decis. 37. in princip. & decis. 129. num. 13. Cum qua resolutione consonat lex novissima, quæ clausulæ appositionem annullat: unde si in verbis executivis contractus hæc clausula apposita sit, potius præsumenda est ex consuetudine apposita, quam ex partium mandato, Cabed. decis. 5. num. 3. Sicut alias clausula constituti in verbis executivis posita translationem possessionis non ope-

ratur, Alex. cons. 28. lib. 2. col. 2. Decius in l. contractus col. 6. vers. & supradicta ff. de reg. jur. & fuit Abbat. in cap. cum contingat de jurejur. num. 23. Ripæ in l. centurio num. 82. ff. de vulgar. Seraphin. de privileg. juram. privil. 22. num. 107.

Secundo limitatur, ut non habeat locum in executione, quia cum dirigatur clausula, ne pars audiatur, & se defendat, quoque solvat, illa verba proprie verificantur in judicij tela, quæ usque ad sententiam durat: unde in executione sententiæ eadem pars audiiri poterit, postquam condemnatus pignora offerat pro solutione debiti, quia Ordin. lib. 3. tit. 86. §. 1. vetat condemnatum audiri posse, nisi oblatis pignoribus in separato processu. Unde si sententia exequenda indigeat liquidatione, quia liquidatio est pars, & præambulum executionis: ut pungit Scobar de ratiocin. cap. 33. num. 24. Zevallos 4. part. quæst. 1. num. 935. prius datis pignoribus audietur, Cabed. d. decis. 37. num. 3. durante tamen appellationis instantia, durat idem impedimentum, ne audiri valeat: quod ita accipendum est, ut ille, qui non auditur sine deposito, si condemnetur, & appetat, debeat ejus appellatio scribi, & poterit audiri super eo tantum, an audiendus sit, non vero super meritis causæ principalis. Sicut si in contractu exprimatur, quod ad ipsam executionem citatio fiat in persona scribæ, vel alterius, videtur satisfactum formæ Ordinationis lib. 3. tit. 86. §. 15. quia nihil impedit, ut partes ad illam citationem aliam supponant, non tamen vigore clausulæ omittentur uxoris citatio, si fiat executio in immobilibus, quia hoc ex alia necessitate fit, scilicet d. Ordin. tit. 86. §. 27. in fine: de quo infra.

Tertio limitatur in contractu nullo, cuius nullitas est probata, non vero probanda, & quæ ex testium depositionibus adhuc pendet: veluti quando gabella soluta non sit, juxta Ordin. lib. 1. tit. 78. §. 14. Qui defectus insana-

bilem inducit nullitatem, quam non solum alij, sed & ipsæ propriæ partes opponunt veniendo contra factum proprium, vel si conjugatus sine uxore vendiderit, juxta Ordin.lib.4.tit.48.in princip. vel si fidejesserunt vir, uxor, & mulier, quæ beneficio Velleani se juvans pro sua parte adhuc revocare studet, **Gama** decis. 131.num.2. **Barbosa** in l. I. 3.part.num.59. Sicque procedunt, quæ **Cabed.d.decis. 37.num.4. Valasc.d.conf. 85.num.7.** Atque ideo licet quis arguat contractum usurarium, vel cum læsione enormissima gestum, quia hæc omnia adhuc à futura probatione pendent, non excusant à deposito: quod secus quando nullitas ipsa est probata in continenti, adeò ut transferatur onus probandi contrarium, prout est in omnibus casibus, in quibus pro excipiente est juris præsumptio. Cujus rei est ratio: quia nullitas in continenti probata impedit executionem sententiarum, DD. in l.4.§.condemnatum de re judic. ubi **Ripa** num. 11. & 28. **Alex. conf. 33.** in fin. lib. 1. & 95. lib. 2. num. 8. bonus casus in l.fin. **C. si ex falsis instrum. tradit Jas. in d. §.condemnatum num. 12.& 17.** Unde cum nullitas ex actis constet, facilius admittitur, receptum dicit **Covar. practic. cap. 25.n. 2. Bald.** in l. ab executione num. 8. **C. quorum appell. Riminald. conf. 51. vers. juvat, Ordin. cont. 106. Bertrand. conf. 250. num. 15. lib. 2. Rebuff. 1. tom. fol. 367. num. 4.**

4 Unde non infeliciter dici potest, quod ad hoc ut quis audiri possit super contractu usurario sine deposito, vel simili contractu simulato, aut nullo, cuius nullitas non est probata, quod potest pars petere, ut admittatur ad probandam simulationem in continenti, ut ea probata modis legitimis relevetur à clausulæ depositariæ rigore: sicut alias pars admittitur ad probandam qualitatem, quæ est fundamentum judicij, DD. in cap. si clericus de foro compet. ut per Gofredum ibi Abb. num. 6. **Socin. 4. Barbatia 24. Felin. 2. Rebuff. 3. tom. ad leges Gall. tit. de contum. art.**

9. **gloss. unic. num. 8.**

5 Quarto limitatur durante exceptione incompetentiæ judicij, vel personæ judicis, prout si recusatur, quia obligatio depositi supponit judicium esse competens, in quo quis convenit, **Cabed. decis. 37. in fin.** quia quando patri competit plura jura, uno sublato, aliud remanet illæsum, quia remisso uno aliud remisso non censemur, notat Bart. & Scribentes in l. si domus ff. servit urbanor. **Valasc. conf. 144. num. fin.**

Quinto limitatur, ut licet pars non audiatur super causa principali, tamen possit, & debeat audiri super validitate clausulæ, & an illi standum sit, vel illi sit locus.

6 Sexto limitatur, quando ante tempus advenientis conditionis contractus, vel antequam ex eo nascatur actio, quia nondum venit dies obligatus, per viam actionis de nullitate ipsius agit in judicio competenti, ut declaretur nullus, ne ex eo agi possit, **Cabed. arrest. 26. 2. part.** Namque **Cabed.** ibi ideo dicit convenientem Reum, quia pendente lite jam dies venerat, supponens agi posse ante adventum: aliud erit in obligatione alternativa, ut solvat, vel ponat calculum, quia causa agitari poterit, & erit locus clausulæ. **Cabed. decis. 62. num. 5. & 6.**

7 Septimo, quod quando Reus solverit virtute sententiae latæ ad umbram tituli præcedentis, contra quem Reus opponere non potest, quod adhuc facta solutio ne non impeditur Reus per conditionem sine causa pecuniam solutam repetere, **Valasc. conf. 56. num. 6.** licet repugnet Costa l. si ex cautione fol. 234. vers. ex his num. 2. ad fin. **Jas. in l. Julianus verum debitorem num. 10. & 16. ff. de condic. indebit.**

8 Octavo, quod hæc depositi persona non excedat quantitatem recepti, quia partes solent, ut securiores redant contractus, amplam pecuniam promittere, & meram iniquitatem foveat, ut hoc modo quis repellatur à limite

mine judicij : sicque lege novissima ca-  
vetur, & sufficiet causam modo deduci  
ad judicium, licet contractus fuisse cele-  
bratus ante dictam legem ex Bart. in  
I. omnes populi ff. de justit. num. 44. Par-  
lador. lib. 3. quotid. cap. 9. different. 79.  
Morla in empor. 1. part. tit. 1. de legib.  
quæst. 6. num. 7. vers. tertius casus, facit  
Gama decis. 260. num. 3.

Secunda clausula denegandæ audi-  
entiæ aliquando apponitur simpliciter  
sine deposito ad illum solum effectum,  
ne audiri possit, priusquam solvat cum  
effectu, Gama decis. 369. & transit ad  
hæredes, ut ibi per eum ex ratione l.  
paetum ff. de probation. I. juris gentium  
§. paetorum ff. de paet. Si autem pro-  
mittat nolle se audiri ulla exceptione,  
intelligit de frivolis tantum Gama ubi  
supra num. 2. Clausula vero depositi non  
transit ad hæredes ex his, quæ Gama d.  
decis. 369. num. 3. ex reg. I. inter artifi-  
ces ff. solution. quia censetur electa in-  
dustria depositarij : & in hoc differt à  
clausula denegandæ audientiæ. Sed cer-  
te utroque casu eadem est ratio : quia  
obligationes non mutantur ex hæredum,  
vel successorum persona I. 2. §. ex his ff.  
de verborum I. cui fundus ff. condit. &  
demonst. Et ita judicavimus in casu  
Antonij d' Oliveira contra Moniales de  
S. Anna: Scriba Azevedo. Videndus  
Phæbus decis. 12. num. fin. Ubi ita dicit  
judicatum, quod unus ex hæredibus pro  
sua parte deponens satisfaciat.

9 Clausula autem citandi suppo-  
sitam personam tabellionis, vel alterius  
nomine absensis frequentissima  
est, & valida ex Rebuff. I. tom. fol. 57.  
faicit Ordin. lib. 3. tit. 2. ubi unus pro alio  
citatur. Sed videtur esse contra Ordin.  
lib. 4. tit. 72. quæ non patitur, ut quis  
remittat primam citationem. Cui dif-  
ficultati respondet Gama d. decis. 369.  
in fine, quod illa Ordinatio procedat  
in eo, qui sibi omne remedium ademit;  
non vero in eo, qui tantum se privat ad  
tempus. Sed certe licet illa responsio  
habere possit locum respectu clausu-  
læ depositariæ, vel denegandæ audi-

tiæ, non tamen recte convenit respectu  
citationis, quæ videtur omnino remissa,  
dum alia persona supponitur citatio-  
ni, quia hæc clausula semper apponi so-  
let ad libitum creditoris, nominata per-  
sona sub nomine officij, id est: o Alcayde,  
o Destribuidor, o Portero. In quo datur  
mera incertitudo, & vere qui ita con-  
sentit se citari posse, realiter remittit  
citationem, cum ex citatione in perso-  
na alterius facienda in absentia nullam  
notitiam se habiturum in posterum  
speret. Atque insuper datur aliud in-  
conveniens, quod ille, qui tali citationi  
supponitur, citari non potest ad illam  
causam, nisi & ipse in contractu con-  
sentiat, ut citetur absensis nomine; quia  
talis procuratoris constitutio, si valuit,  
ipsum procuratorem obligat contraria  
mandati actione, si dominum non cer-  
tioravit, ut se defendere posset, quia  
procurator omnem culpam præstat, I.  
procuratorem C. mandati I. cum procu-  
ratorem eod. Ratio est: quia qui alium  
defendit, tenetur ex boni viri arbitrio  
defendere I. omnis ff. de procurator. &  
ideo illo tit. ibi: *Qui frustrando actorem*  
*efficiat, ne causa ad exitum ducatur: con-*  
*siderata ratione hujus legis, ut pariter*  
*procedat in eo, qui Reum defendendum*  
*fuscepit.* Nec obstat Ordin. tit. 2. quia  
agit de procuratore certo, qui mandatum  
acceptavit, non vero de incerto, qui for-  
san non novit mandantem. Quo dato,  
patet, quod procurator obligabitur in-  
vitus mandato constituentis, quod ipse  
non acceptavit: nemo enim tenetur in-  
vitus mandatum fuscepere. Et non est  
dubium, quod talis procurator tempo-  
re citationis potest dicere se mandato  
uti nolle, nec nomine absensis citari.  
Quo casu ulterius in causa procedi non  
potest ex tali citatione. Et quod magis  
est, etiamsi citationi acquiescat, quia in  
fraudem constituentis videtur facta ac-  
ceptatio, imò in favorem creditoris,  
cum ipse procurator non habeat noti-  
tiam defensionum, quæ Reo compe-  
tunt, ut illum defendat. Ergo non ad ejus  
commodum, sed ad ejus damnum man-  
datum

datum accipit. Quod quidem repugnat naturæ mandati, & bonæ fidei: sentit Valasc. cons. 144. num. 7. Unde oportet, ut tempore contractus adsit ipse procurator, mandatumque accipiat, ut Reum defendat, & constituantur non sub nomine dignitatis, sed proprio, cum ex tali mandato teneatur dominum citationis certiorari: alias enim fiet prævaricator, l. 1. ff. de prævaricator, cum diversam partem adjuvet prodita causa sua.

II Quando autem procurator legitime constitutus est in eodem loco cum constitente, dubitatur, quis eorum citandus sit. Utriusque opinionis authores citat Valasc. d. cons. 144. num. 10. & ipse sequitur sententiam gloss. in cap. causam de dolo, & contumac. quæ dominum citandum dicit. Cujus sententiam hodie sequitur Senatus in casibus, in quibus procuratoris constitutio admittitur. Quod sine dubio semper est observandum in causis magni præjudicij, quia in his citatio requiritur ad personam debitoris; Angel. in §. hinc nobis in Auth. de hæred. & Falcid. Valasc. d. num. 10. ad med. Unde patet elegans explicatio ad Ordin. lib. 3. tit. 87. §. 3. dum permittit parti in sua persona non citatæ, ut impedimenta de meritis in executione offerre possit, ut procedat in eo, qui in persona supposita citatur; non autem personaliter. Licet ille, qui

personaliter citatur, non alia impedimenta offerre possit, nisi nullitatis, ut habet Ordin. tit. 87. §. 1.

Atque ex his in præsenti quæstione citationem nullam decrevimus: prout sæpe in Senatu judicatum. Sed quia Senatus simplices nullitates non admittit ex praxi recepta, de qua in Ordin. lib. 3. tit. 63. ubi plures citat Barbosa in annotationibus doctissimis: Reusque solam nullitatem proposuisset absque alio fomento justitiæ: ideo jussimus, ut solveret, in eoque sententia adimpleretur; eum tamen levandum censuimus à pæna 200. nummorum pro quolibet die, quia pænæ apposito sustineri non potest, nec obligare, quando principalis contractus corruit, cujus naturam sequitur tanquam accessorum ipsius. In processu Ioannis, Iorge cum Gaspare de Faria d'Almada, Dominus Nonius da Fonseca Cabral Diddacus de Britto, & ego sententiam, & factam executionem annullavimus, quia pars multa allegabat circa suam defensionem, & merita causæ. Quo casu non poterat nullitas allegata censi ri simplex, ex his quæ Gama dec. 237. & 325. Valasc. de partition. cap. 39. num. 72. & succedit Ordin. lib. 3 tit. 63. §. 5. & quæ Menchac. success. creat. lib. 1. §. 2. num. 4. Surdus cons. 227. num. 17. & cons. 181. num. 28. Scriba Mattos anno 1617. 19. Decembris.

### SUMM A R I A.



1 Nterpretatur l. flu-  
vium §. fin. ff. dam-  
no infect.

L. Proculus ff. eod.  
ibi.

2 Lcite aperit quis puteum in suo  
fundo, licet vicino noceat.

Rei suæ quibet est moderator.  
ibi.

Damnum tertij non. consideratur,

quando venit in cōsequentiam. ibi.  
Cum dominus intendit suam utili-  
tatem, contemnitur damnum vici-  
ni. ibi.

Levare domos licet, licet officiatur  
luminibus vicini. ibi.

3 Puteum licet aperire usque ad  
centrum.

4 Interpretata l. Trebatius ff. de  
damno infect.